






BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ

SCHOLASTICÆ

AUCTORE

EUGENIO GRANDCLAUDE

DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO, PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

Editio nova, aucta et emendata

TOMUS TERTIUS

ETHICA CUI ACCEDIT HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ SYLLABUS.





PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, RUE CASSETTE, 10

BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ

SCHOLASTICÆ

III

IMPRIMATUR

Sancti Deodati, die 3ª augusti 1863.

✝ LUDOVICUS-MARIA.

Episc. Sancti Deodati.

Posita licentia D. Illust. ac reverendissimi episcopi Sancti Deodati, imprimatur.

Rhedonis, die 26ª septembris 1867.

✝ G., *Arch. Rhedonensis.*

REIMPRIMATUR

Sancti Deodati, die 18ª augusti 1877.

✝ MARIA-ALBERTUS.

Episc. Sancti Deodati.

IMPRIMATUR HÆC OCTAVA EDITIO

Sancti Deodati, die 7ª martii 1885.

✝ MARIA-ALBERTUS

Episc. Sancti Deodati.

Tipis Cistercii.

BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

AUCTORE

EUGENIO GRANDCLAUDE

DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO, VICARIO GENERALI,
NUNC SEMINARII SANCTI DEODATI SUPERIORE

Editio octava aucta et emendata

TOMUS TERTIUS


ETHICA CUI ACCEDIT HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ SYLLABUS



PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, via «Cassette», et via «de Rennes», 75.

—

1886



BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ

SCHOLASTICÆ

TERTIA PARS SEU ETHICA

COMPLECTENS

JUS NATURÆ PRIVATUM ET PUBLICUM.

Procœmium.

1. — *Definitio.* — *Ethica* suam habet appellationem a voce græca ἦθος quæ mores seu consuetudinem significat; mores enim sunt propensiones aut nobiscum natæ aut usu frequenti comparatæ. Ethica ergo, juxta vim vocis spectata, est hæc disciplina quæ in comparandis per assuetudinem optimis moribus versatur : itaque, significatione consimili, *disciplina moralis* latine vocatur.

Ad definitionem realem quod attinet, Ethica stricte describi potest : *Scientia practica, quæ actus humanos ad honestatem dirigit.*

1° Est *scientia*, quia rectitudinem regularum, quas tradit, demonstrat. Verumtamen est etiam ars, quatenus tradit normas recte vivendi, ac proinde quibus actio humana ad debitum finem dirigitur (I, 14) : itaque, quatenus regulas præscribit, est ars; et quatenus easdem demonstrat, habet rationem scientiæ.

2° *Practica*, siquidem in mera sui objecti contemplatione non conquiescit, sed tota est in tradendis regulis quarum ad normam voluntatem in agendo dirigit.

3° *Quæ actus humanos*, qui constituunt objectum materiale Ethicæ : hic agitur de actibus humanis proprie dictis, nempe qui ab homine procedunt cum rationis advertentia, ac proinde quatenus distinguuntur ab actibus indeliberatis hominis : hi materialiter tantum, non autem formaliter, homini, ut enti rationali, conveniunt; dicuntur *actus hominis*, non autem *actus humani*.

4° *Ad honestatem dirigit :* id se refert ad objectum formale. Est simul finis, non quidem ultimus, qui habet tantum rationem finis externi et remoti respectu moralis disciplinæ, sed finis internus et proximus, qui, in disciplinis practicis, ab ipso objecto formali non discrepat.

Ex hac definitione sequitur : *a*) actus humanos bifariam considerari posse, nempe materialiter scilicet in sua entitate solummodo, abstractione facta honestatis vel rectitudinis : hæc entitas dicitur *esse physicum* actus humani; formaliter, id est, præ illa honestate seu rectitudine, quæ *esse morale* actus humani constituit. Hæc distinctio est eadem ac illa quam afferunt theologi, et speciatim D. Thomas, quum docent actum humanum spectari posse in genere naturæ et in genere morum. Hic præsertim sub altero respectu consideratur. Sequitur *b*) : summa Ethicæ utilitas et necessitas : quæ enim major utilitas ac necessitas quam scire proprias et aliorum hominum actiones ordinare invicem et ad finem debitum.

2. — *Divisio* — *Ethica* duplex distinguitur : *a*) divina una et supernaturalis, quæ est theologica, atque infuso divinitus fidei lumine cognosci potest et obtinetur; humana altera et pure naturalis: De hac secunda unice agitur in philosophia, seu de illa quæ ingenii humani viribus comparatur et obtinetur.

b) Ethica naturalis dividi solet, et merito in *generalem* et *particularem* seu *specificam*. Ethica *generalis* est illa disciplinæ moralis pars quæ hominem dirigit ad honestatem in genere, abstrahendo a quolibet vitæ statu, et cujuslibet conditionis professione, aut a quacumque relatione particulari ad alterum : proprie et directe ordinat actiones *ad finem debitum*.

Particularis seu specifica est hæc pars quæ homines peculiari conditioni devotos, aut præ aliqua relatione ad alterum consideratos, ad ea omnia quæ illius status aut relationis decent perfectionem dirigit. Itaque præsertim et directe ordinat *invicem* actiones humanas.

Propterea præsens nostra tractatio in duplicem partem distribuitur, scilicet in Ethicam *generalem* et *specialem*.

c) Ab hac divisione non valde abludit altera, quæ apud scholasticos erat vulgatissima, atque in Ethica distinguebat tres partes, 1° *monasticam*, quæ considerat operationes uniuscujusque hominis ordinatas ad finem, 2° *œconomicam*, quæ considerat operationes multitudinis domesticæ, et 3° *politicam*, quæ versatur circa operationes multitudinis civilis. Monastica idem est ac generalis, et œconomicam ac politicam complectitur particularis.

d) Nonnulli philosophi moralem humanam in *Ethicam* proprie dictam et *Jus naturæ* partiuntur; at hæc divisio in eorum mente non est diversa ab illa quam, post veteres, attulimus; ideoque in pravo sensu Rationalistarum non debet sumi. Recentiores enim Rationalistæ unanimi fere consensu distinctionem Moralis a Jure generatim inspecto, non modo nimium amplificant, sed in plenam separationem et independentiam convertere satagunt. Ethica, juxta ipsos, actiones internas, quæ conscientiæ ambitu tantum continentur, unice regeret, dum jus operationes externas quæ in mutuis hominum relationibus versantur, ad æquitatis normam exclusive exigeret, et quidem juxta regulas principiis Ethicæ minime obnoxias : hinc jus universim sumptum ordini morali penitus subtraheretur.

Verum 1° ab Ethica certo non potest separari Jus, quocumque modo spectatum; utriusque enim disciplinæ idem est objectum materiale, actus humani scilicet, et idem objectum formale, hoc est, directio actuum ad debitum finem, secundum æquitatis normam.

Sed 2° ambæ disciplinæ, methodi causa, distingui possunt : objectum materiale proprium et directum Moralis, universim sumptæ, sunt actus *interni*, dum objectum materiale proprium et directum Juris, adæquate spectati, sunt actus *externi*. — Præterea objectum for-

male proprium et immediatum Ethicæ est directio subjectiva intentionum, dum objectum formale immediatum et specificum Juris est directio objectiva operationum externarum; sed cum actus internus nullo pacto separari possit ab actu externo, fit 1° quod ambæ disciplinæ sint indivulsæ comites, 2° quod Moralis præstet, utpote fons Juris et latitudine sua istud complectens.

Verum cum hic agatur unice de Jure naturali, cujus pronuntiata ab interno rationis lumine, naturaliter indito, proficiscuntur, distinctio est fere nullius momenti: *Jus naturæ* itaque Ethicæ speciali, sine dispendio doctrinæ, assimilari potest et exinde definiri : *Scientia practica actus humanos, qui ordinem ad alterum dicunt, ad æquitatis normam exigens.*

3. — *Ratio philosophandi* superius declarata (I, 5; Thes. 3ª, 6) est maxime applicanda Ethicæ : itaque omnino insistendum est in doctrina morum ab ipsa Ecclesia probata et quam communiter Patres et Scholastici tradiderunt, spreta, rejecta et confutata *Morali independente* quam recentiores philosophi, vestigiis protestantium insistentes, summis laudibus extollunt (1). Ex facto jam constat et ex dicendis patebit quod *integra* doctrina morum a doctrina revelata non regulata et adjuta, imperfecta est et multis erroribus obnoxia.

a) Rationalistæ, dum in re morali non secus ac in doctrinis speculativis se jugo fidei et Ecclesiæ exuere volunt, ad crassissimum empirismum confugiunt, atque cum Puffendorf ad anatomen, physiologiam et medicinam recurrunt seu ad experimenta physica, ut Ethica *independens* quamdam normam objectivam habeat et fucata principia, quorum ope dignitatem scientiæ nanciscatur. Inde, juxta nonnullos eorum, « omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis » (2).

b) Aliqui auctores catholici, placitis rationalistarum plus æquo indulgentes, etiam in *subsidium scientiæ moralis* advocant medicinam, anatomen, etc. Contra illos hic adnotandum est quod, si Ethica consideratur quoad

(1) Syllab. Prop. III, IV, V, LVI, LVII.

(2) Syllab. Prop. LXVIII.

suum objectum formale, inutilis plane est humani corporis analysis et quodlibet experimentum physicum : nam objectum formale Ethicæ sunt actiones humanæ quatenus ex voluntate deliberata procedunt secundum regulam morum. Porro actiones, sic sumptæ, non a corporis humani constitutione, sed a libera voluntate dependent. Physiologia forsan ostendet hunc hominem præ alio ad iracundiam vel concupiscentiam inclinatum esse : sed hæc dispositio physica ad lineam moralem non spectat, nisi accedente consensu vel dissensu voluntatis.

Remanet ergo ut accidentaliter tantum prædictæ scientiæ auxilium præstent morali, quatenus varia corporis dispositio et temperamentum diversimode disponunt ad actiones morales. Itaque ad objectum materiale tantum spectant, et quidem accidentaliter. Igitur quam absurda et perversa sit ratio philosophandi rationalistarum in re morali, nemo est sanæ mentis qui non videat.

c) Rationi philosophandi rationalistarum omnino contrarius est error Traditionalismi qui principia Ethicæ naturalis ab externo magisterio societatis, ope revelationis divinæ, unice repetit. Traditionalistæ ergo non habent revelationem ac fidem, ut quamdam regulam externam et superiorem, ut vult sana doctrina, sed ut fontem proprium ex quo hauriuntur principia Moralis naturalis, quæ proinde esset scientia revelata.

PRIMA PARS

ETHICA GENERALIS

---

4. — Scientia est cognitio per causas seu per principia ideoque nisi alicujus rei principia deprehendantur, hujusce rei natura nullatenus scientifice innotescit. Ergo ad cognitionem scientificam actuum humanorum, qui constituunt objectum materiale Ethicæ, eorum principia sunt investiganda.

Principium dicitur id a quo aliquid quocumque modo consequitur (I, 393). Itaque actuum humanorum principia dicuntur ea omnia quæ ad operationis humanæ existentiam concurrunt. Illa principia quæ ad productionem actus moralis conferunt, sunt vel *elicitiva*, seu productiva ipsius actus humani in *suo esse physico* (2), vel *directiva*, nempe determinativa actus humani in *suo esse morali*.

Principia elicientia sunt aut ipsius causæ efficientis facultates, aut quidquid facultatem naturaliter perficit in ratione causæ efficientis; principia directiva sunt idipsum quod exhibet normam qua diriguntur actus humani ad honestatem. Hic duplex ordo principiorum respondet naturæ actus humani adæquate sumptæ. Itaque prima pars Ethicæ distribui debet in duplex caput : primum erit de principiis elicitivis esse physicum actus humani, quod logice præcedit esse morale, respicientibus; alterum erit de pricipiis directivis, quæ ad esse morale actus humani spectant.

CAPUT I

DE PRINCIPIIS ELICIENTIBUS.

5. — Hæc principia sunt voluntas libera atque virtutes et vitia quibus voluntas promptior, proclivior et

expeditior fit id actus determinatos producendum : hinc præsens caput distribuitur in duos articulos : 1[s] erit de voluntate libera; 2[s] de virtutibus et vitiis.

ARTICULUS I.

De voluntate.

6. — Voluntas considerari potest 1° quatenus vult, nempe abstractione facta libertatis, quæ non se refert unice ad voluntatem, siquidem ejus causa est ratio, et subjectum voluntas (II, 303); 2° quatenus libera, nempe in quantum seipsam determinat cum potentia ad oppositum. Itaque agemus 1° de voluntario simpliciter sumpto; 2° de libero, quod est aliquod voluntarium, sub peculiari ratione inspectum, indeque secundo loco enucleandum.

Voluntarium et liberum inter se differunt tribus præcipue modis : 1° Voluntarium admittit necessitatem cui repugnat liberum; 2° voluntarium latius patet quam liberum; 3° in uno eodemque actu, qui simul liber et voluntarius est, fieri potest ut augeatur voluntarium et minuatur liberum, ut postea ostendemus.

§ I. De voluntario.

I. Voluntarii et involuntarii notio et divisio.

7. — Voluntarii nomen a voluntate derivatur, ac subinde est id quod procedit a voluntate, quatenus voluntas est (II, 302); propriissime usurpatur pro eo omni actu et motu elicito aut imperato a voluntate. Actus eliciti dicuntur, qui ab ipsa voluntate immediate proficiscuntur, tanquam actiones ejus propriæ : v. g., amor; actus imperati sunt qui ab aliis facultatibus eliciuntur, ex imperio et applicatione voluntatis : v. g. loqui, deambulare.

Actus imperati, alii sunt *interni*, ut quando voluntas facultates internas, puta intellectum, imaginationem, applicat ad agendum : v. g., cogitare, faciem alicujus rei phantasia repræsentare; alii externi, ut quum voluntas sensus externos aut vim motricem ad actum movet : v. g., loqui, ambulare.

8. — Voluntarium dividitur.

1° In *directum* et *indirectum* : Voluntarium directum seu voluntarium *in se* est illud quod in seipso a voluntate intentum fuit, ut si quis sciens et volens se projiceret in mare; indirectum, seu *in causa*, est illud quod non quidem in seipso volumus, sed tantum in ejus causa, cum scilicet agens aut prævidet aut prævidere potest et debet hunc effectum ex illa causa esse consecuturum : sic homicidium in ebrietate commissum esset voluntarium, si aliquis dum vino sese obruit, prævidere potuerit aut debuerit se in ebrietate homicidii capacem fore; ita etiam navis jactura, quæ nautæ negligentia contingit, est voluntaria.

Voluntarium directum est vel *actuale*, quod etiam *formale* appellatur, ut quum actu voluntas operatur, vel *virtuale*, quando actuale moraliter perseverat in agente, et influit in ejus intentionem, etsi de ipso hic et nunc volens non cogitet, v. g., voluntas consecrandi per distractionem interrupta; vel *habituale*, quando est inclinatio ad talem actum actibus voluntariis acquisita, de quo agens non cogitat.

2° In *perfectum* et *imperfectum*. Voluntarium potest dici perfectum cum oritur ex plena perfectaque voluntatis propensione, et imperfectum quando fit quidem cum voluntatis propensione, et imperfectum quando fit quidem cum voluntatis consensu, sed non sine aliqua repugnantia : talis esset actus mercatoris qui, tempestate ingruente, merces suas in mare projiceret : ratione ergo intensitatis dicitur perfectum vel imperfectum. Potest etiam appellari *voluntarium simpliciter* et *voluntarium secundum quid*.

Dicitur *moraliter perfectum* quando procedit a voluntate cum perfecta cognitione finis et circumstantiarum ; *imperfectum* dum cognitio finis et mediorum est imperfecta. Petitur hæc divisio ex gradu cognitionis singulorum in quibus est actio.

3° In *positivum* et *negativum*, prout est actio vel omissio post sollicitationem ad actum.

4° In *expressum* et *tacitum* : illud est quod signis sensibilibus et externis manifestatur, puta, verbis; hoc quod ex aliquo facto vel ex facti omissione colligitur adesse.

9. — Voluntario opponitur involuntarium : cum vo-

luntarium duo importet, nempe 1° ut procedat a principio intrinseco seu voluntate, 2° ut sit cum cognitione operationem dirigente, sequitur involuntarium esse id quod vel a principio intrinseco seu a voluntate non procedit, vel absque cognitione finis ab ipsa oritur.

Involuntarium ergo, sic universim sumptum, est duplex : aliud per *violentiam*, aliud per *ignorantiam*. Involuntarium per violentiam, illud est cujus principium est extra, ita ut subjectum quod agit seu patitur, nihil conferat nec sponte agat; est involuntarium positive, seu simpliciter involuntarium. Involuntarium per ignorantiam est id quod fit absque finis cognitione, ut occisio qua Œdipus inscius suum patrem interfecit, de qua occisione postea doluit : appellatur etiam involuntarium privative dictum, seu non voluntarium.

Adnotandum est 1° aliquid non esse positive *involuntarium*, nisi involvat cognitionem intellectus : involuntarium enim est id quod repugnat appetitui rationali; porro 2° ut sit *coactum* (II, 210), sufficit cognitio etiam imperfecta, qualis est sensitiva : coactum enim est *involuntarium* quod appetitui sensitivo repugnat; ut autem sit 3° mere *violentum*, nullam requirit cognitionem, ideoque illud violentum est *involuntarium quod* repugnat appetitui naturali : v. g., motus lapidis sursum dicitur violentus ultimo sensu, respectu lapidis; percussio passive sumpta est coacta respectu canis; deductio hominis in carcerem, dicitur proprie involuntaria respectu ipsius hominis.

10. — Thesis I *Voluntas varie allici et retrahi potest in suis actibus eliciendis.*

Probatur. Nullus appetitus fertur in id quod apprehendit sibi esse disconveniens, nec respuit quod conveniens et delectabile percipit. Etenim bonum sub ratione boni nullus appetitus odisse potest, nec malum sub ratione mali prosequi (II, 206).

Atqui judicium intellectus varie objectum exprimit, et plus minusve vivide nitideque proponit ut odibile vel delectabile. Ergo per illud judicium voluntas varie allicitur vel retrahitur.

11. — Thesis. II. *Voluntas facilitatem et difficultatem pati potest in suis actibus.*

Probatur. Voluntas facilitatem et difficultatem evidenter patitur, si causam adjuvantem sui aut causam retardantem secum habeat. Atqui judicium intellectus, habitus, appetitus sensitivus, voluntati coagere possunt, vel resistere. Ergo.

Corollarium. Ex dictis constat dari plures gradus intensitatis in voluntario.

II. De causis involuntarii.

12. — Involuntarium est id 1° quod non procedit a principio intrinseco, inde principium extrinsecum vim inferens causat involuntarium: aut 2° quod est absque finis cognitione, ideoque quidquid mentem obnubilat circa objecti honestatem vel malitiam est etiam causa involuntarii. Quatuor igitur sunt ejusmodi causæ : duæ extrinsecæ seu *vis* et *metus*, quæ producunt involuntarium per violentiam; duæ intrinsecæ, seu *ignorantia* et *concupiscentia*, quæ se referunt ad alterum genus involuntarii.

De causis extrinsecis.

13. — I. De violentia. Violentia seu coactio est motio, cujus principium est vis extrinsecus illata contra voluntatis inclinationem (II, 210). Si totis viribus obsistat patiens, est coactio *absolute* et *simpliciter* dicta; si non resistat quantum potest, coactio dicitur *secundum quid.*

14. — Thesis I. *Voluntas cogi potest quoad actus imperatos, minime vero quoad actus elicitos.*

Probatur 1ª *pars.* Notissima res est nos adigi posse ad aliquid præstandum per facultates externas contra voluntatis imperium et inclinationem, puta, dum alio brachium nostrum movente, chirographum cuidam chartæ apponere cogimur, renitente prorsus voluntate. Porro actus ejusmodi sunt imperati. Ergo.

Probatur 2ª *pars.* Voluntas non potest simul idem velle et nolle. Atqui si cogi posset quoad actus elicitos, simul idem vellet et nollet : actus enim elicitus est quæ-

dam volitio, seu actualis inclinatio voluntatis ad objectum; porro si cogeretur, illud nollet : ideoque nollet volitionem, et sic vellet nolens, et nollet volens, quod est evidenter absurdum. Ergo « potest homo per violentiam trahi; sed quod hoc sit ex ejus voluntate, repugnat rationi violentiæ », ut ait S. Thomas.

15. — Thesis II. *Coactio absoluta voluntarium tollit.*

Nota. Voluntarium est vel actus immediate a voluntate proficiscens, vel actus a voluntate imperatus : de hoc ultimo agitur.

Probatur. Voluntarium est id quod mediate vel immediate procedit a voluntate; atqui motio quæ fit a principio extrinseco, voluntate illius qui vim patitur totis viribus reluctante, nullo modo procedit ab hac voluntate, ut per se patet. Ergo coactio absoluta voluntarium penitus tollit.

16. — *Scholium.* Ex dictis simul et ex definitione coactionis secundum quid, colligitur violentiam secundum quid non omnino tollere voluntarium, sed illud plus minusve imminuere.

17. — II. De metu. Metus est timor præsentis vel futuri mali. Est quædam violentia, non physica, sed moralis. Metus potest esse *gravis* vel *levis*. Prior est quo timemus grave aliquod malum, ut mortem, infamiam, etc., quorum timore viri constantes commoveri solent. Posterior est ille qui oritur ex prævisione mali levis.

Est autem metus aut *absolute* gravis, aut *relative* tantum : absolute gravis erit si malum ex se sit ingens; relative dumtaxat si malum quod timorem infert, mulieres tantum et viros molles perturbare soleret, non autem viros constantes.

Metus potest esse *antecedens*, si est causa cur aliquid fiat, nempe si influit in actum, tanquam motivum, v. g., timor flagelli puerum impellentis ad studia; vel *concomitans*, si nullum in actionem influxum exercet, sed ipsam tantum comitatur, v. g., metus magistri in pueros scholas clam fugiente.

Metus procedit a causa vel extrinseca, vel intrinseca; si quis ab externo agente trepidationem injiciente, directe moveretur ad aliquid faciendum, metus caperetur ab extrinseco : illud agens potest esse

causa *naturalis*, ut morbus, naufragium, etc., vel causa *libera*, ut si latro necem tibi minetur nisi pecuniam numeres. — Ille procedit ab intrinseco, quem homo apud se interius concipit, ut dum ægroti metuunt mortem.

18. — THESIS I. *Quæ fiunt ex metu, etiam gravi, sunt simul simpliciter voluntaria, et involuntaria secundum quid.*

Probatur 1ª *pars*. Illud est simpliciter voluntarium quod, perspectis omnibus circumstantiis, volumus; atqui, quæ fiunt ex metu, etiam gravi, eliguntur ad vitandum periculum imminens : hæc itaque patiens suscipit, eisque annuit, quæ habet ut impedimentum majoris mali quod timebatur. Ergo, examinatione pensatis omnibus circumstantiis, hanc partem simpliciter volumus.

Probatur 2ª *pars*. Ubi reperitur aliqua voluntatis repugnantia, ibi etiam est quædam ratio involuntarii; atqui quæ fiunt ex metu, nonnisi cum aliqua voluntatis repugnantia seu resistentia fiunt : nam homo taliter non ageret, si metus abesset. Ergo quæ fiunt ex metu, sunt involuntaria secundum quid.

19. — *Scholium*. Si tamen metus ita hominem perturbaret ut cognitionem penitus tollat et exinde electionem exstinguat, actio esset simpliciter involuntaria; sed id præter rationem metus accidit, qui, ex hypothesi, habetur ut motivum determinans actionem : in præsenti enim casu, metus non esset, saltem in intentione agentis, ratio taliter agendi, seu motivum proprie dictum : præterea operatio ejusmodi non esset actus humanus, ac proinde hæc hypothesis extra statum quæstionis evagatur.

De causis intrinsecis.

20. — III. DE IGNORANTIA. — Ignorantia tripliciter considerari potest, scilicet ex parte subjecti, objecti et actus.

I. Ratione *subjecti*, 1° alia est *negativa*, quæ est mera nescientia rei, sine ullo errore, qualis est in pueris : alia est *privativa*, quæ est nescientia rei quam quis scire tenetur.

2° Est vel *vincibilis* vel *invincibilis*. Prima est quæ depelli potest habita morali diligentia, seu hac diligentia quam ignorans adhibere debuisset. Et hæc iterum est duplex, scilicet *affectata* per quam quis de industria aliquid, quod scire tenetur, ignorat ut liberius peccet : eam ergo vult directe; et *crassa*, qua quis defectu, etiam levis diligentiæ ignorat quod scire tenetur, licet ignorantiam positive et directe non quærat ; eam ergo non vult nisi indirecte.

Altera, seu *invincibilis*, est ea quæ, adhibita morali diligentia, superari non posset, tum quia de re ignorata nulla cogitatio in mente sit oborta, tum quia etsi suspicio de ejusmodi re orta esset in mente, ignorans non posset moraliter hanc veritatem cognoscere, seu suam ignorantiam depellere. Inde dicitur *moraliter* invincibilis; si nullo modo vinci posset, diceretur *physice* invincibilis.

II. Ratione *objecti*, duplex iterum est ignorantia, videlicet *juris* et *facti*. Illa detinetur homo, quando nescit legem aliquam prohibere actionem quam elicit : hac, quando nescit factum ipsum, v. g., si quis percutiens clericum, ignoraret eum quem percussit, esse clericum.

III. Ratione ipsius *actus* qui ignoranter fit, est vel *antecedens*, vel *concomitans* : antecedens est quæ causat actum ac proinde qua sublata, actio non fieret, v. g., qui occideret patrem putans occidere feram inter vepres latentem. Ignorantia concomitans est ea quæ actionem quidem comitatur, sed non est causa ipsius, ita ut etiamsi haberetur cognitio, adhuc fieret actio : tunc ignorantia non inducit ad cupiendum ut hoc fiat, sed accidit simul esse aliquid factum et ignoratum. Talem habet qui interficit inimicum, quem existimat esse feram, et quem tamen interficeret si cognosceret ipsum esse inimicum.

IV. Ignorantia potest etiam comparari ad voluntatem ignorantis, tunc est etiam vel *antecedens*, si antecedit consensum voluntatis, et ideo est involuntaria, vel *consequens*, si sequitur consensum voluntatis, et hoc casu est voluntaria.

Ignorantia consequens sequitur consensum voluntatis sive directe sive indirecte : sequitur directe consen-

sum voluntatis, quando actus voluntatis fertur in ipsam ignorantiam; et hæc ignorantia eadem est cum vincibili affectata; sequitur indirecte, si cadat tantum in id quod quis scire potest et debet, et exinde est ignorantia ex pravo habitu, ex negligentia culpabili proveniens, seu ignorantia crassa.

21. — Thesis I. *Ignorantia antecedens et invincibilis voluntarium tollit.*

Probatur. Voluntarium supponit cognitionem; atqui homo qui ignorantia antecedente laborat, nullam habet cognitionem objecti circa quod versatur actio, et ita hæc actio non procedit ab appetitu rationali, ut sic. Ergo.

22. — Thesis II. *Quæ fiunt cum ignorantia concomitante non sunt positive voluntaria nec involuntaria, sed sunt non voluntaria.*

Probatur 1ª *pars.* Non sunt positive voluntaria, nam quæ sunt proprie voluntaria fieri debent a voluntate cum singulorum quæ actionem pertinent cognitione : atqui homo qui cum ignorantia concomitante operatur, non habet cognitionem, non solum actualem, sed neque etiam habitualem, quæ possit esse causa operis seu influere in actum. Ergo istæ actiones non sunt positive et simpliciter voluntariæ.

Probatur 2ª *pars.* Non sunt positive involuntaria, quia id quod est positive involuntarium, debet esse contra voluntatis inclinationem; sed actio quæ fit ex ignorantia concomitante non repugnat voluntati, ut constat ex definitione. Itaque non est simpliciter involuntaria.

Sequitur ergo 3° illam actionem esse non voluntariam seu involuntariam negative.

23. — Thesis III. *Quæ fiunt cum ignorantia consequente sunt simpliciter voluntaria, et involuntaria tantum secundum quid.*

Probatur 1ª *pars.* Illud est simpliciter voluntarium quod fit a principio interno cognoscente singula quæ ad actionem spectant. Atqui homo qui cum ignorantia consequente operatur, vult et consentit ut fiat actio : si enim vult ignorare aliquid, vult ea quæ necessariam

habent connexionem cum ejusmodi ignorantia. Ergo vult simpliciter actionem, quandoquidem vult ipsam causam actionis, videlicet ignorantiam.

Probatur 2ª *pars*. Verum cum homo ignorantia consequente laborans non habeat cognitionem actualem perfectam et integram finis et circumstantiarum, sed virtualem tantum atque imperfectam et valde confusam, reperitur in ipso quoddam involuntarium per ignorantiam : voluntas totam rem non amplectitur, et exinde aliquid veluti sine voluntate elabitur.

24. — IV. De Concupiscentia. — Cum homo duplici parte constet, *superiori* nempe omnino spirituali, et *inferiori* rebus tantum corporeis apprehendendis dedita, fit ut ejus voluntas ad duplex objectum trahatur, spirituale videlicet et corporeum. Ad primum per solius intellectus illustrationem, ad secundum vero per appetitus sensitivi et imaginationis influxum seu excitationem movetur.

Porro voluntas ab appetitu sensibili duplici modo moveri potest : 1° indirecte et mediate, scilicet, intercedente intellectu, cui imaginatio phantasmata rerum immediate exhibet; 2° directe et immediate, quatenus per solam præsentiam phantasmatum, voluntas movetur circa talia objecta, independenter a qualibet intellectus operatione.

25. — Concupiscentia dividitur in *antecedentem* et *consequentem*, prout præcedit voluntatis consensum, quem determinat, aut a voluntatis imperio ipsa incitatur et commovetur.

26. — Thesis I. *Concupiscentia antecedens auget voluntarium et minuit liberum.*

Probatur 1ª *pars*. Voluntarium eo intensius est quo voluntas vividiori modo fertur in rem expetitam : aliquid enim dicitur voluntarium ex eo quod voluntas in id fertur. Atqui concupiscentia auget propensionem voluntatis in objectum, ut experientia plenius æquo demonstrat. Ergo concupiscentia antecedens auget voluntarium.

Probatur 2ª *pars*. Libertas stat in quadam indifferentia ad unam aut alteram partem contradictionis; atqui concupiscentia in unam tantum partem contradictionis hominem impellit; ergo concupiscentia, quæ in unam

partem magis quam in alteram impellit, minuit libertatem.

27. — *Scholium.* Concupiscentia quandoque liberum plane tollit : nempe si est adeo vehemens ut plane obcæcet operantem, seu usum rationis penitus auferat et motum primo primum producat : id contingit in illis qui propter concupiscentiam fiunt amentes aut furiosi. Sed in hac hypothesi non est proprie voluntarium aut involuntarium, quia ad voluntarium vel involuntarium requiritur, sin minus cognitio finis, saltem usus rationis. Inde concupiscentia potest necessitatem inferre ad appetendum, non proprie et stricte ad consentiendum.

28. — Thesis II. *Concupiscentia consequens auget voluntarium, sed non minuit liberum.*

Probatur 1ª *pars.* Concupiscentiam consequentem vult voluntas ut intensiori nisu se ferat in pravum objectum. Ergo concupiscentia antecedens auget voluntarium.

Probatur 2ª *pars.* Per concupiscentiam consequentem, voluntas trahitur in unam partem magis quam in aliam unice quia id voluit; ergo voluntas hunc motum jussit qui proinde ex ipso usu libertatis procedit. Unde quidquid intentionis est in ejusmodi actu venit ex libero usu libertatis.

§ II. De voluntatis imperio et libertate.

I. De voluntatis imperio in alias animæ facultates.

29. — Facultates animæ secundum triplicem gradum vitæ enumerantur : aliæ enim ad vitam vegetativam, aliæ ad vitam sensitivam, aliæ denique ad vitam rationalem spectant (II, 144). Quæritur ergo quomodo aliis facultatibus cujuscumque ordinis voluntas imperet?

Adnotandum est illud imperium considerari posse tum quoad *exercitium*, ita ut voluntas alias facultates de non agentibus faciat agentes, tum quoad *specificationem*, scilicet ad hoc ut facultates eliciant actus specie diversos, v. g., assensum vel dissensum in intellectu.

30. — Thesis I. *Voluntas directe et per se non imperat facultatibus vitæ vegetativæ, neque sensibus externis, sed tantum indirecte et per accidens.*

Probatur 1ª *pars* quæ experientia evidenti constat; v. g., voluntas nequit stomacho imperare ut cibo jam recepto non nutriatur, neque auribus ut non audiant sonos quibus afficiuntur.

Probatur 2ª *pars*. Potest voluntas materiam subtrahere facultatibus vegetativis, et potest etiam eas juvare aut earum exercitium præpedire per quietem aut nimiam corporis exercitationem; idem dicendum de sensibus externis, quia voluntas potest, v. g., imperare ut manibus aures obturemus, etc. Ergo voluntas indirecte tantum facultatibus vitæ vegetativæ et sensibilitati externæ imperare potest.

31. — Thesis II. *Voluntas imperat simpliciter potentiæ motrici, et secundum quid intellectui, imaginationi et appetitui sensitivo.*

Prima pars experientia clare constat : nemo enim ignorat voluntatem posse motus corporeos efficaciter præcipere.

Secunda pars eodem modo probatur : constat enim experientia intellectum, imaginationem, appetitum sensitivum aliquando ipsi voluntati obluctari. Non potest voluntas semper voluntati hæc intellectum, v. g., impedire quin cogitationes distrahentes in oratione enascantur, vel etiam enatas pro libito expellere. Quoad appetitum sensitivum, non minus perspicuum est voluntatem non posse huic facultati simpliciter imperare : nemo enim in se non persentit pugnam fere continuam quam appetitus sensitivus contra partem superiorem gerit. « Video autem, aiebat S. Paulus, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati. » Idem de imaginatione.

Præterea intellectus et appetitus sensitivus aliquo modo voluntatem ipsam movent. Ergo simpliciter et absolute voluntatis imperio non subduntur : 1° Certo intellectus non movet voluntatem quoad exercitium actus, sed quoad specificationem, quæ est ex parte objecti, quod nonnisi ab intellectu proponitur.

2° Appetitus sensitivus quasi occasionaliter movet voluntatem, quatenus rationi et intellectui materiam apprehensionis injicere potest; sic, mediante intellectu,

quem ad hoc vel illud judicium efformandum pertrahit, objective movet voluntatem. Ergo...

II. De libero.

32. — In Psychologia diximus quid et quotuplex sit libertas, cujus existentiam in homine probavimus (II, 208, etc., 302, etc). Nunc distinctiori modo examinandum est : 1° quid sit hæc facultas, quæ est principium meriti vel demeriti, seu cui dirigendæ incumbit Ethica; 2° quæ sit efficientia hujus principii; 3° quid hanc efficientiam præpediat.

I. *De principii libertatis.*

33. — Thesis I. *Liberum arbitrium non est facultas ab intellectu et voluntate diversa.*

Nota. Liberum arbitrium esse potentiam quamdam motricem, distinctam ab intellectu et voluntate, putavit Alexander Alensis; sed hæc sententia non potest probari, immo nec intelligi.

Probatur. Si esset potentia motrix distincta, jam 1° ad eliciendum actus transeuntes tantum ordinaretur, non autem immanentes; 2° ab ipsa voluntate regeretur. Utrumque constat; etenim ex hypothesi, totum ejus officium esset ut moveat alias facultates, eisque imperet, ideoque actus transeuntes unice exerceret; præterea cum ordinaretur tantum ad movendas alias potentias, ac proinde non ad se movendum, sequeretur evidenter ipsam esse ab alia potentia motam. Atqui, 1° facultas quæ non exercet actus immanentes non est capax libertatis, quæ importat electionem inter plura ipsi potentiæ eligenti præsentia ac proinde intrinseca; 2° potentia quæ subjicitur voluntati non est elicitive libera, ut per se patet. Ergo libertas non potest esse facultas specialis distincta ab intellectu et voluntate.

34. — *Quodnam sit subjectum libertatis?* (II, 209, 302). Certum est 1° libertatem non esse in entibus quibus nulla inest voluntas nullumque prævium intellectus judicium. Bruta animantia naturæ impetu et sensuum affectibus ad objecta sibi convenientia rapiuntur; quod si unum præ alio eligant, id fit per potentioris objecti illectum et attractum : v. g., dum felis a lacte capiendo

se abstinet propter minitantis verbera, id non venit ex libera electione, sed ex eo quod timor ejus appetitum efficacius movet quam delectatio cibi.

Certum est 2° libertatem non esse actum vel habitum, nam nobis inest a natura : porro non datur actus vel habitus a natura unice proficiscentes. Itaque cum liberum arbitrium ex una parte non inveniatur nisi ubi reperiuntur actus intellectus et voluntatis, ex altera, non sit potentia ab istis facultatibus diversa, manifesto sequitur subjectum libertatis non esse nisi intellectum vel voluntatem.

35. — Thesis II. *Libertas proprie et formaliter non residet in intellectu.*

Probatur 1°. Facultas quæ est subjectum libertatis, potest, positis omnibus ad agendum requisitis, agere vel non agere, quandoquidem in hoc consistit essentia libertatis. Atqui intellectus ita determinatur ab objecto, ut necessario illud apprehendat; intellectus enim non est liber neque quoad *specificationem*, quia ex natura sua determinatus est ut dissentiat a falso, neque quoad *exercitium*, quia actus intellectus, non secus ac potentiæ visivæ operatio, non est intrinsece voluntarius; porro nulla potentia, cujus actus non est *intrinsece* voluntarius, potest esse formaliter libera quoad exercitium : determinatio hujusmodi potentiæ non potest esse nisi vel a natura vel a voluntate, et in neutro casu esset libera, ut per se liquet. Ergo libertas proprie et formaliter in intellectu non residet.

Probatur 2°. Si intellectus formaliter esset liber, sequeretur, 1° hominem peccare posse solo intellectu, ante consensum voluntatis; 2° ignorantiam prorsus involuntariam non excusare a peccato. Atqui hæc omnia sunt falsa. Ergo.

36. — Thesis III. *Libertas formaliter et immediate residet in voluntate.*

Nota. Hæc propositio jam ut corollarium fluit ex superiori : nam si in intellectu formalis libertas non est, necesse est ut sit in voluntate, quia nulla potentia præter voluntatem relinquitur, in qua esse possit.

Probatur. Illa facultas est formaliter libera, cujus

est indifferentia ad agendum vel non agendum : in indifferentia enim contradictionis stat essentia libertatis (II, 210). Atqui facultas qua homo est formaliter indifferens ad agendum vel non agendum est voluntas; v. g., ratio cur studeam aut non studeam nulla alia assignari potest immediatior quam quia hoc volo, Ergo.

37. — *Corollarium.* Ex hactenus dictis de subjecto liberi arbitrii colligitur, 1° *radicem* aut, ut volunt Scotus, Gandavensis et alii, *conditionem necessariam* libertatis esse intellectum, qui universaliter objecta cognoscit, adeoque etiam juxta varias circumstantias; inde et varie de re ipsa judicare potest. Ex hac varietate et indifferentia judicii nascitur, tanquam ex radice, indifferentia seu libertas voluntatis :

2° *Subjectum* esse ipsam voluntatem, cujus objectum adæquatum est omne bonum prout ab intellectu cognoscitur. Igitur liberum arbitrium est voluntatis formaliter, rationis autem præsuppositive seu radicaliter.

Sub altero respectu, ratio etiam optime dicitur radix libertatis, nam potentiæ appetitivæ sequuntur cognoscitivas, ita ut, licet radix earum sit anima, mediante tamen anima sit radix facultatis cognoscitivæ, et mediante ista, facultatis appetitivæ. Quocirca liberum arbitrium merito dicitur radicari in ratione.

II. *De efficientia illorum principiorum.*

38. — I. *Quam partem habeat radix libertatis seu intellectus in actu libero?*

THESIS. *Ad actum liberum intellectus effective non concurrit* (II, 304).

Nota. Concurrere effective est concurrere per modum principii seu causæ efficientis physicæ, non autem per modum objecti aut finis.

Probatur. Si intellectus in actum liberum efficienter, seu ad modum principii activi, physice influentis, ageret, jam deberet ad illum producendum concurrere, aut per se immediate, aut per suam intellectionem. Atqui neutro modo concurrit effective : nam-

1° intellectus immediate non producit nisi intellectionem, minime autem volitionem; 2° ipsa intellectio, cum fiat in intellectu, cujus ambitum non egreditur, effective nequit operari in voluntatem, quæ actum liberum ponit. Ergo intellectus vim effectivam non habet in actum liberum.

Corollarium. Voluntas ergo cum generali concursu Dei est totale principium elicitivum suorum actum.

39. — *Scholium.* Verum, etsi intellectus effective non agat in actum liberum, tamen directive concurrit : ex ipso enim proficiscuntur quidam actus ipsam voluntatem liberam dirigentes, quorum alii sunt circa finem, ut boni seu finis apprehensio et propositio, judicium de ejusdem finis bonitate, etc., et alii versantur circa media, ut eorum cognitio et æstimatio. Dum enim voluntas sibi proposuit finem consequendum, ab intellectu jam apprehensum et propositum, tunc iterum opus est actione intellectus qua hæc facultas varia inquirat media ad finem obtinendum, et eorum idoneitatem voluntati ostendat; inde *consilium*, quod est actus intellectus, imperio voluntatis elicitus : sed. :

40. — II. *Quotuplici modo principium formale actus liberi seu voluntas libera in suas proprias operationes erumpat?*

Ut constat ex dictis, actus voluntatis, seu principii formalis actus liberi, alii sunt circa finem, alii circa media. Circa finem sunt triplicis generis : *volitio*, *intentio* et *fruitio*. Circa media ad quatuor genera revocantur, scilicet ad *consensum*, *electionem*, *imperium et usum*.

a) Triplex esse genus actuum voluntatis liberæ circa *finem*, colligitur ex ordine quem invicem istæ actiones servant : 1° intellectus bonum voluntati proponit. indeque excitatur in voluntate amor simplex seu complacentia : hinc *volitio* ad illud ; 2° intellectus postea generatim ostendit illud bonum, seu finem propositum, ut consequendum : inde enascitur in voluntate *intentio* quæ reipsa idem est ac desiderium; 3° denique in fine adepto conquiescere potest voluntas, quo casu habetur *fruitio*.

b) Quadruplex esse genus actuum voluntatis circa *media*, consimili analysi ostenditur : subjicit intellectus per *consilium* varia media quibus bonum expetitum

possit comparari : tunc voluntas 1° quatenus vult quod intellectus judicat utile, elicit actum qui dicitur *consensus*; 2° quatenus eadem voluntas unum medium præ aliis eligit, tum habetur *electio;* electio ergo et consensus stricte non sunt actus diversi, sed esse possunt varii respectus ejusdem actus; 3° electione medii facta, voluntas sibi et aliis potentiis imperat, ut medio electo utantur, et est *imperium;* 4° dum ipsa voluntas et aliæ potentiæ secundum præmissum voluntatis imperium hoc medio utuntur, est *usus.*

41 — Declaratis numero et ordine illarum actionum, nunc easdem specialiori modo definire oportet :

1° *Volitio*, non generice seu pro quocumque voluntatis actu sumpta (II, 302), sed specialissime, est actus voluntatis circa finem, ut bonum absolute et propter se amabile.

2° *Intentio* est actus voluntatis respiciens finem ut bonum per media obtinendum.

Et si voluntas non possit appetere formaliter et eodem actu finem et media, quia finis et media sunt objecta distincta, quæ proinde nonnisi per actus diversos attingi possunt (II, 144), tamen non potest quis explicite finem appetere quin implicite appetat media et vicissim; nemo enim quit finem consequi nisi per media, et ex altera parte, tota appetibilitas mediorum venit ex fine (I, 320).

3° *Electio* et *consensus* inter se differunt quatenus electio semper exquirit ut voluntas unum præ aliis amplectatur, dum consensus unice importat acceptationem medii propositi. Igitur omnis electio est consensus, sed non omnis consensus dicitur electio, quia formaliter non dicit comparationem quæ ad hanc requiritur.

Consensus est vel *formalis*, vel *tacitus*, vel *interpretativus*. Formalis est actus voluntatis expressus quo hæc facultas consentit judicio intellectus. Tacitus nuncupatur, quando voluntas non contradicit medio ab intellectu proposito, juxta effatum : *qui tacet consentire videtur*. Est interpretativus, quando ex parte consentientis nulla est peculiaris cognitio medii propositi, quod tamen approbare solet, quando illud cognoscit.

4° *Imperium* est ille actus voluntatis quo producuntur

actus imperati circa medium electum. Sed adnotandum est actus voluntatis imperatos differre ab actibus imperatis aliarum facultatum, in quantum sunt simul imperati et eliciti.

5° *Usus* differt ab imperio, quod est veluti impetus ad operationem, dum usus est ipsa operatio : itaque usus utentis conjunctus est cum actu seu efficientia propria rei qua utitur, dum imperium præscribit usum : v. g., usus calami ad scribendum habetur quando voluntas jubet ut manus calamo utatur ad scribendum : imperium ergo est naturaliter prius quam usus, nempe quam imperio obediatur.

Verum hic sedulo adnotandum est duplicem esse usum : activum scilicet et passivum; usus *activus* est actus voluntatis facultates obedientiales moventis ad agendum; *passivus* est ipsa facultatis obedientialis actio prout à voluntate movetur. Usus prout hic consideratur, hoc est, quatenus se refert ad actum liberum voluntatis, est usus activus.

6° *Fruitio*, quæ etymologiam ducit a fructu, est actus voluntatis circa bonum ut formaliter possessum. Cum spectet ad delectationem et amorem, manifesto est actus facultatis appetitivæ : frui enim, juxta etymon, nihil est aliud quam fructum capere : porro fructus sensibilis, ut ait S. Thomas (1), est id quod ultimum ex arbore expectatur, et cum quadam suavitate percipitur : unde fruitio pertinere videtur ad amorem vel delectationem quam aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis; finis autem et bonum est objectum appetitivæ potentiæ.

Hic animadvertendum est cum Cajetano, vocabulum « fruitio » æquivocari inter Thomistas et Scotistas. Secundum Thomistas significat delectationem formaliter loquendo, amorem autem connotative et causaliter. Secundum Scotistas significat formaliter amorem amicitiæ.

III. *Quid impediat liberum.*

42. — His præstitutis circa principium tum radicale, tum formale actus liberi, et ordinem quo hæc principia

(1) 1a 2a, q. 2, a. 1.

progrediuntur in operando, quæritur quid impediat vel tollat liberum?

Libertati contradictorie opponitur necessitas, quæ est determinatio ad unum. Porro necessitas dividitur : 1° In necessitatem *exercitii* et necessitatem *specificationis*. Prior est quando appetitus vitalis ex necessitate actum appetendi exercet a quo refugere hæc facultas nullo modo posset : hæc necessitas in appetitu sensitivo reperitur; in rationali vero non invenitur in hac vita, sed solum in beata (II, 204). Altera in hoc consistit, quod licet facultas actum appetendi ex necessitate non exerceat, tamen si exercet, necessario appetit tale objectum : sic voluntas non est libera circa bonum in genere (II, 206).

2° In *antecedentem*, *concomitantem* et *consequentem*, prout volontatis usum antecedit, comitatur vel sequitur.

3° In *physicam* et *moralem*. Necessitas physica ea est qua voluntas ad tale objectum est absolute et naturaliter determinata (I, 452) : hac necessitate afficitur voluntas, circa bonum in genere. Moralis habetur quando voluntas, etsi physice possit aliter operari, tamen ad unum tam vehementer trahitur, ut nonnisi cum summa difficultate valeat ad aliud se convertere : v. g., potator coram lagena bellissimi vini constitutus.

43. — Thesis I. *Essentia liberi arbitrii consistit in indifferentia activa, et sic excludit non solum coactionem, sed etiam necessitatem simplicem.*

Nota. Jansenius et Baius hanc veritatem tam perspicuam negabant. Hic ultimus suum errorem in sequentibus propositionibus ab Ecclesia damnatis exprompsit : Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. — Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

Probatur. Agens liberum ab agente naturali et necessario distinguitur, quia istud ad unum est absolute determinatum, dum alterum est ex se indeterminatum et exercet dominium in suos actus. Atqui esse ex se indeterminatum et habere dominium in suos actus, idem est ac frui indifferentia activa; hæc enim indifferentia nihil est aliud quam vis qua agens potest agere

vel non agere, positis omnibus ad agendum requisitis; et cum actus humani consistant formaliter in actibus elicitis (III, 7), manifestum est essentiam liberi arbitrii importare præsentem immunitatem a simplici necessitate. Ergo hæc essentia evidenter consistit in indifferentia activa, et non excludit tantum coactionem.

44. — Thesis II. *Ad rationem meriti vel demeriti requiritur libertas indifferentiæ.*

Nota I. Asserebat Jansenius ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiri in homine libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. Hæc doctrina ab Innocentio X, ut hæretica, fuit damnata.

Nota II. Meritum nihil aliud est nisi congruæ retributionis exigentia : meritum ergo est habitudo actuum humanorum ad entia rationalia prout in eorum emolumentum vel detrimentum cedunt.

Probatur. 1° Meriti conceptus importat opus factum a merente aliquo modo in gratiam vel commodum ejus apud quem meretur. Atqui agens quod libertate indifferentiæ careret, non posset 1° ipsummet opus præmio dignum præstare, 2 illud ordinare ad præmium seu facere in commodum alterius. Etenim, 1° non posset opus præstare quod valorem moralem habeat, quia ad hoc requiritur ut principium elicitivum sit voluntas libera; 2° non valeret dirigere opus in ordine ad præmium; nam agens ejusmodi non se determinat, sed ipsum determinatur ad unum; deinde et consequenter nullum habet dominium in suos actus. Ergo, qui non habet libertatem indifferentiæ, nequit proprie et formaliter mereri vel demereri.

2° Meritum vel demeritum in moralitate actuum humanorum evidenter fundatur : nam meritum nihil est aliud quam moralis dignitas operis in ordine ad præmium; atqui moralitas haberi nequit sine libertate indifferentiæ, ut constat ex ipso conceptu moralitatis.

3° Ex consensu communi omnium hominum, qui rationem meriti non agnoscunt in eo qui dominium in suos actus non haberet, ut omnes sciunt. Ergo.

45. — *Scholium.* Meritum non est idem ac moralitas, nam est tantum ordo actus ad præmium : id quod effi-

citur in emolumentum alterius, apud hunc meretur. Ex quo sequitur meritum esse jus ad præmium, et ideo meritum non dari nisi is qui meretur et is apud quem meretur sint entia rationalia, scilicet capacia juris et officii; quapropter dari potest, absolute vel hypothetice de omni ente rationali ad omne ens rationale.

ARTICULUS II.

De habitibus (a).


§ I — De habitibus in genere.

46. — Ad facultates, quæ sunt principia elicientia actuum moralium primaria, revocantur habitus, qui ipsas facultates expeditiores et intensiores reddunt ad operandum; itaque ad principia elicitiva actuum humanorum referre oportet habitus : facultates sunt principia essentialia et nativa; habitus autem principia superaddita et acquisita. Non agitur hic de habitibus infusis, sed de acquisitis.

Super habitibus entitative spectatis superius disseruimus (I, 366-371); reminiscendi causa hic iterum dicemus habitus, quatenus afficiunt voluntatem, nuncupari virtutes aut vitia, prout hanc facultatem inclinant ad bonum vel ad malum.

Duplex est subjectum habituum, *remotum* scilicet et *proximum*. Illud est ipsa res quæ habitum suscipere dicitur, seu ens cujus facultates sunt habitibus informatæ; v. g., subjectum remotum talis virtutis est ipse homo cujus voluntas inclinatur ad objectum hujusce virtutis. Proximum autem est ipsa facultas, cui talis habitus immediate inhæret, quamque juvat et inclinat in operationibus eliciendis. Habitus afficere possunt potentiam motricem respectu actionum artificiosarum, appetitum sensitivum et imaginationem, intellectum et voluntatem. In præsenti disputatione, subjectum remotum non est aliud nisi homo, proximum, ipsa voluntas. Virtutes enim quæ dicuntur intellectuales, voluntatem non afficiunt, sed intellectum.

(a) Cf. S. Th. S. Th. 1ª 2ª q. 49. seqq. et 2ª 2æ.



47. — Thesis I. *Actiones concurrunt effective ad productionem habitus.*

Nota. Hic agitur de habitibus acquisitis, non autem de habitibus infusis (I, 368).

Probatur. Habitus est a potentia vel ab actu : si ab ipsa potentia vel ab actu ortum non duceret, aut non esset acquisitus, aut ipsam potentiam intrinsecus non afficeret; præter ipsam facultatem et operationes nihil remanet facultati intrinsecum. Atqui non est a potentia, saltem immediate; nam potentia est indifferens ad multos habitus suscipiendos : ergo opus est actibus qui eam determinent ad talem habitum, potius quam ad alios.

48. — *Corollarium.* Ex dictis constat habitum, qui saltem jam est adeptus, omnes suos intensionis gradus augere posse per quoslibet actus : actus enim aliquid producunt, et facultatem magis ac magis inclinant ad tale objectum; ideoque ipsum habitum adaugent, eumque firmiorem reddunt.

49. — Thesis II. *Habitus debilitantur et quandoque penitus eradicantur per actus contrarios.*

Probatur. Actus concurrunt effective ad productionem habitus seu ad facultatem taliter inclinandam. Itaque actus contrarii alicui habitui inclinant ipsam facultatem in directionem huic habitui oppositam, seu illius habitus subjectum retrahunt ab hac parte in quam vergebat. Ergo, cum aliquid non possit simul stabili modo hinc atque illinc incurvari, necesse est ut actus habitibus contrarii eosdem aut imminuant aut radicitus evellant.

50. — *Scholium.* Desitio ab actibus potest etiam minuere, imo et tollere habitus. Id experientia sufficienter constat; aliquando videmus peritos in aliqua scientia vix meminisse eorum quæ prius apprime noverant.

§ II. De habitibus bonis, seu de virtutibus.

I. Quid et quotuplex sit virtus, speciatim moralis?

51. *Definitio?* Ad nomen *virtutis* quod attinet, animadvertendum est hanc vocem plures obtinere significationes: 1° Nonnunquam usurpatur pro quacumque potentia

activa; v. g., calor est virtus ignis 2° pro ipsomet actu hujus potentiæ; sic in Scripturis legimus : « Ficus et vinea dederunt virtutem suam » ; agitur de actu principii activi; 3° sumitur etiam pro quacumque perfectione aut proprietate alicujus rei; puta, plantarum ac radicum virtus, et quandoque in sensu metaphorico, pro perfectione quæ in belluis aliquam analogiam habet cum virtutibus moralibus; v. g., formica dicitur prudens; 4° denique et propriissime sumitur pro habitu inclinante ad actus moraliter bonos.

Virtus moralis stricte definiri potest, post S. Augustinum (1) et S. Thomam (2) : *Bona qualitas mentis qua recte vivitur et nemo male utitur.*

Explicatur definitio : *Qualitas* locum generis tenet : virtus est ille habitus, qui constituit primam speciem qualitatis. *Bona*, qua parte virtus a pravis habitibus secerni incipit. *Mentis*, quæ est subjectum virtutis, et late sumitur, nempe pro omni eo quod est particeps rationis, hoc est, pro intellectu et voluntate; imo et in hac parte appetitum sensitivum quadamtenus etiam includimus, in quantum rationis actionem et motum recepit. *Qua recte vivitur* : est finis virtutis; *et nemo male utitur*, quia nonnisi ad bonum usum inservit; id finem explicatius declarat.

52. — Thesis I. *Virtus moralis in medio sita est.*

Nota. Per medium hic intelligitur mensura et modus per rationem assignatus, non autem intensitas vel remissio actus, ενεργεια vel debilitas habitus.

Probatur. Consistere in medio idem est ac non excedere nec deficere in aliquo, seu nullo modo deflectere a propria regula; atqui virtutes morales nequeunt deflectere sive per excessum sive per defectum ab ipso rationis dictamine, quin desinant esse virtutes. Ergo.

Probatur minor. Ratio enim est regula omnis operationis humanæ, ideoque operatio humana eatenus dicitur recta, quatenus rectæ rationi consonat; porro virtus nihil est aliud quam bona qualitas qua recte, seu ad normam rationis, vivitur, et nullus male, seu

(1) L. 3, contra Jul. c. 3.

(2) 1ª 2æ, q. 55, a. 4.

contra vel præter regulam morum, utitur. Ergo nequit recedere a recta ratione seu deflectere sive per excessum, sive per defectum a tramite rationis, quin desinat esse virtus. Ergo consistit in medio.

53. — Thesis II. *Homo ad perfecte operandum indiget virtutibus.*

Probatur. Perfecte operamur si uniformiter, prompte et constanter ad honestam operationem nos conferamus; perfectio enim in operando habetur, quando nulla operatio et nihil quidquam in operatione a regula morum deflectit. Atqui ad recte operandum uniformiter, prompte et constanter requiruntur virtutes : 1° ad *uniformiter* et *constanter* operandum, nam, ut ait S. Thomas : « Ea quæ ex sola operatione dependent, facile immutantur, nisi secundum aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita; facultas enim quæ variis ac innumeris modis attracta et illecta est, et quandoque vehementiori tractu, ad malum, non semper regulam morum obsequeretur, si per virtutes ad honestatem veluti pondere suo non inclinaretur; 2° non minus requiruntur, ut *prompte* ad honestatem se conferat homo : nam inquisitione, deliberatione et incertitudine magis protrahi necesse est illum qui habitu quodam non dirigitur nec juvatur in suis actionibus eliciendis. Ergo ad perfecte operandum requiruntur virtutes.

54. — *Divisio virtutum.* — Virtutes acquisitæ distribuuntur 1° in intellectuales, nempe intellectui insitas, et, 2° morales, quæ voluntatem perficiunt. Intellectuales sunt quinque : *intelligentia*, seu cognitio principiorum immediatorum : *sapientia*, seu cognitio altissimorum principiorum; *scientia*, nempe cognitio per deductiones seu ope ratiocinii; *ars*, quæ factibilia recte ordinat, et *prudentia*, quæ dirigit ad finem operabilia in genere morum seu agibilia. Tamen hæc ultima inter morales etiam recensetur, quia voluntatem simul et intellectum perfectiores reddit. De moralibus virtutibus hic agemus.

55. — Thesis. *Virtus moralis adæquate dividitur in quatuor generaliores partes, quæ sunt : prudentia, justitia, temperantia et fortitudo.*

Probatur 1° ex immediato virtutum subjecto. Cum enim virtus moralis in hoc consistat quod subjectum inflectat ad recte operandum, tot erunt generaliores virtutes, quod sunt facultates quæ ad actus morales concurrunt ordinandos. Atqui quatuor sunt ejusmodi principia operationum moralium inter se distincta : 1° Vis rationalis quæ ostendit eligenda et præcavenda; 2° voluntas, quæ debet unicuique reddere quod suum est; 3° appetitus concupiscibilis, qui bene et moderate debet se habere circa bonum sensibile, ac denique; 4° appetitus irascibilis, cujus impetus in fugiendis molestiis regi ac retundi debent.

Jam vero *prudentia* juvat rationem ad bene regendam vitam; *justitia* rectam facit voluntatem circa bonum *alienum*; quoad *proprium*, hæc rectitudo obtinetur per duas sequentes virtutes : *temperantia* concupiscibilem partem coercet a delectationibus pravis; denique *fortitudo* partem irascibilem rectam facit circa bonum et malum arduum, ne ignavia succumbat aut temeritate se erigat. Istæ virtutes, uti monuimus, inclinant ad bonum proprium, cui adversari posset appetitus deordinatus tam concupiscibilis quam irascibilis. Ergo sunt quatuor generaliores virtutes morales.

Probatur 2° ex earumdem virtutum objecto. Virtus moralis respicit bonum morale; atqui bonum illud quadrifariam considerari potest, videlicet : 1° in suo fonte, ut ostenditur a ratione : hinc prudentia; 2° ut operatur a voluntate secundum ordinem rationis : hinc justitia; 3° ut impugnatur a passione : hinc temperantia; 4° ut præpediretur timore laborum : hinc fortitudo.

Itaque virtus moralis adæquate distribuitur in quatuor membra.

56. — *Scholium.* Istæ virtutes nuncupantur *cardinales*, quia universa vitæ nostræ moralis conversatio his virtutibus, quasi cardinibus, in ordine ad honestatem volvitur.

II. De virtutibus moralibus in specie.

57. — De prudentia. I. Prudentiæ nomen dictum videtur a *procul videndo*, quia est sagax agendorum notitia respectu ad finem bonum habito. Hæc virtus, quæ, juxta etymon, aptam mediorum dispositionem intuitu finis

honesti importat, definitur ab Aristotele (1) : *Recta ratio agendorum.*

Potest distinctius sic describi : *Virtus qua intellectus judicat quid, in particulari, sit honestum et faciendum vel turpe et vitandum.* Dicitur :

1° *Qua intellectus judicat*, nam ad discrimen aliarum virtutum moralium, subjectum prudentiæ est intellectus : pertinet enim ad rationem practicam, et ideo ratione subjecti est virtus intellectualis. Verumtamen cum respiciat conformitatem actuum moralium cum lege, et supponat voluntatem bene ordinatam ad finem, habet etiam rationem virtutis moralis.

2° *Quid sit honestum* et faciendum *vel turpe* et vitandum : per hæc verba indicatur objectum prudentiæ, quod est honeste agere, sicut ædificare domum est objectum artis; differt ab arte, quæ etiam est recta ratio operabilium, seu recta dispositio mediorum ad rem peragendam idoneorum, quatenus hic per factibile venit opus morale, seu actio legibus moralibus consona : unde ars dicitur versari circa *factibilia*, et prudentia, circa *agibilia*.

3° *In particulari :* Prudentia versatur circa actiones singulares. Per Ethicam intellectus judicat quid sit honestum vel turpe in genere, sed non descendit ad particulares circumstantias et actiones singulares; id enim præstat prudentia, quæ generalia Ethicæ præcepta, statutis occasionibus, ad praxim dirigit.

58. — Tres sunt generaliores actus prudentiæ. Debet enim :

1° *Bene consultare*, inquirendo media et circumstantias ut opus honeste fiat; partes ergo ejus sunt invenire medium illud in quo stant virtutes morales (52).

2° *Recte judicare*, consultatione peracta, concludendo post inquisitionem quid, quove modo, loco, tempore, etc., agendum sit, ut opus ad normam honestatis fiat; inde proponit medium virtutibus moralibus; hisce virtutibus non præscribit finem, sed tantum judicat de mediis quæ detexit.

3° *Recte imperare*, quod fieri potest per ipsum actum judicii, quo prudens judicat hoc opus in talibus

(1) L. 6, Ethic. c. 5.

adjunctis esse faciendum. Hoc ultimum munus non est imperium proprie dictum, sed ipsa causalitas quam habet actus judicii in actum voluntatis.

59. — *De partibus potentialibus prudentiæ.* Partes potentiales sunt quædam virtutes, quæ licet non totam virtutis principalis rationem participent, ad eam tamen accedere videntur.

Propter tres functiones superius enumeratas, prudentia tanquam *partes potentiales* includere debet, juxta S. Thomam : 1° *eubuliam* quæ est habitus quidam inclinans ad recte consultandum de mediis honesto fini assequendo idoneis, seu virtus circa ea quæ in humanis agenda sunt bene consilians : etymologice idem sonat ac bona consiliatrix, ευ, bonum, ϐουλή, consilium; 2° *synesim*, seu bonum sensum, qua prudens recte judicat de iis quæ aliqua lege præscripta sunt, seu habitus bene judicandi circa particularia agenda; 3° *gnomen*, quæ est habitus recte judicandi contra tenorem legis ex motivis rationabilibus ordinis superioris, id est interpretando mentem legislatoris in verbis legis non expressam. Γνωμή se habet ad prudentiam sicut επιειχεια ad justitiam. Habetur quando non ex tenore legis proficiscitur, sed ex æquo et bono, nempe ex principiis altioribus, ut est bonum publicum et privatum, alia legislatoris intentio, etc.; restringit locutiones nimis universales legis. Est pars potentialis prudentiæ, quia importat quamdam perspicacitatem judicii. — Isti habitus non realiter distinguuntur a prudentia, sed sunt ipsa prudentia inadæquate spectata, nempe ut se extendit ad hanc vel illam functionem.

De partibus integralibus prudentiæ. Partes integrales alicujus virtutis eæ sunt quæ, licet ad essentiam hujus virtutis non sint necessariæ, ad ejus tamen perfectionem ita conducunt, ut, iis sublatis, perfectus non sit virtutis actus.

Partes integrales prudentiæ octo enumerat S. Thomas : Prudentia enim est vel *cognoscitiva* mediorum quæ sunt ad finem honestum : bene consultat et recte judicat (58); vel *applicativa* cognitionis ad opus : recte imperat; et sub hoc duplici respectu, plura ad perfectam prudentiam requiruntur.

a) Quatenus cognoscitiva, requirit : 1° *memoriam* seu

recordationem præteritorum : prudentia enim experientia et observatione eventuum præteritorum nititur, ex quibus sæpenumero facile colligimus quid in tali negotio peragendo expediat; 2° *intelligentiam*, seu notitiam præsentium, id est, legis seu principiorum moralium; 3° *providentiam*, seu inquisitionem eorum quæ opus subsequi possent; 4° *ratiocinationem*, qua ex notitia acquisita per prædictos actus, inferimus quid sit agendum in casu occurrente; 5° *docilitas* et 6° *solertia* quæ usum prudentiæ in consultando et judicando etiam adjuvant. Verum ad acquirendam virtutem prudentiæ potius ordinantur : 1° *solertia*, seu ευστοχια, est quædam subita excogitatio mediorum honestorum seu ad rationis normam accommodatorum; quandoque enim negotia non relinquunt copiam diuturnæ consultationis; 2° *docilitas*, est quædam promptitudo ad acquiescendum sensui prudentium.

b) Ad executionem operis, quod imperat prudentia, seu ad prudentiam, quatenus est præceptiva et applicativa cognitionis ad opus, requiruntur : 1° *circumspectio*, quæ est recta et sedula consideratio omnium circumstantiarum quæ pertinent ad bonum opus, quod aggredimur; 2° *cautio*, quæ est cura ut vitentur mala insurgentia. Hæ duæ partes nihil aliud sunt quam conditiones requisitæ ad perfectam discretionem.

60. — II. De justitia. Justitiæ nomen quatuor præsertim modis usurpari solet : 1° generaliter pro cumulo omnium virtutum : v. g. *vir justus*, in sacris litteris, idem est ac omnibus virtutibus ornatus, et quidem proprie, nam vir ille reddit unicuique, Deo et proximo, quod suum est; 2° pro qualibet rectitudine, quatenus *justum* dicitur quod est adæquatum seu commensum suæ regulæ; 3° pro gratia sive caritate supernaturali; 4° et magis proprie pro virtute cardinali inclinante ad reddendum unicuique quod suum est. Hoc modo a jurisperitis definiri solet : *Constans et perpetua voluntas jus suum unicuique reddendi*. Hæc definitio Ulpiani et jurisperitorum est recta; verum justitia accuratius definiri potest : *Virtus moralis qua voluntas tribuit alteri quod suum est*. Explicatur definitio :

1° *Virtus* tenet locum generis; aliæ partes definitionis proprios caracteres justitiæ exprimunt : 2° *qua voluntas*

per quod a prudentia distinguitur; prudentia est in intellectu, justitia in voluntate; 3° *tribuit alteri*, etc.; his verbis distinguitur a temperantia et fortitudine, quæ alterum non respiciunt.

61. — Objectum *formale* justitiæ est jus a quo justitia nomen suum mutuatur, et quod est specialis honestas hujus virtutis; objectum *materiale*, res in quam habetur jus, puta, res empta, vendita, etc.; objectum *cui*, persona habens jus.

Jus tripliciter sumi potest, nempe — 1° ut regula, hoc est, *pro lege* quæ determinat quid ex justitia unicuique debeatur : et in hoc sensu sumptum, subdividitur, 1° ratione fontis, in *naturale* et *positivum*, et hoc ultimum potest esse *divinum* vel *humanum;* 2° ratione modi, in *scriptum* et *non scriptum* seu consuetudinarium; 3° ratione objecti, in *privatum* et *publicum*, quod utrumque in *canonicum* et *civile* partitur.

2° Sumitur *pro ipsa facultate* rem exigendi, et sic consideratur subjective, seu in objecto *cui*.

3° Tandem objective *pro æquo et justo*, nempe pro *æqualitate* ad alterum, quæ æqualitas a lege regitur et est quædam relatio quæ supponit duplicem terminum, id quod adæquatur, id ad quod adæquatur.

62. —*Quotuplex sit Justitia?* Justitia in genere sumpta dividitur : 1° in *generalem* seu *legalem*, et *privatam* seu *particularem*. Dicitur *privata*, quando respicit bonum privatum, seu tribuit unicuique quod suum est; hæc, ad discrimen alterius, est justitia proprie dicta. Est generalis seu legalis, quando bonum publicum intendit, seu tribuit toti communitati quod suum est. Vocatur *generalis*, quia bonum publicum respicit, *legalis*, quia se extendit ad omnia, quæ legibus statuta sunt (1), seu conformat actus legi (II, 445). Verum vox legalis, prout justitiæ tribuitur, latius vel strictius usurpatur. Ratio hujus divisionis est quod duo sunt genera bonorum, nempe publicum et privatum, circa quæ versari potest justitia.

2° Justitia legalis, prout consistit in conformitate actuum legi, dividi solet in *stricte legalem* et *epikeiam*, ἐπιείκειαν, prout importat conformitatem legi sumptæ aut materialiter seu juxta sensum obvium verborum, aut formaliter nempe secundum intentionem legislatoris.

(1) Pontius, Ethica, d. 5, q. 7, n. 36.

Lex fertur pro casibus ordinariis, et ideo hi casus per verba legis regulantur. Sed quandoque occurrunt casus insoliti in quibus littera legis, si servaretur, iret contra bonum commune, quod est finis legis, et id quod primario vult legislator : hinc superior quædam justitia, a Græcis επιειχεια (supra justitiam), a latinis æquitas vocata, determinat quid tunc sit æquum operari juxta legislatoris intentionem; hæc species justitiæ dirigitur per gnomen. In applicatione insignem evidentemque causam exigit. Ex natura hujusce interpretationis satis apparet rationem boni publici, non autem privati, esse regulam exemptionis.

3° Dividitur in *commutativam* et *distributivam* (II, 445) : *commutativa* importat ut alteri reddatur æquale pro æquali. Est generalis quando persona publica, puta judex, decernit reddendum esse alteri æquale pro æquali; est justitia particularis, quando unusquisque privatus reddit æquivalens accepto, puta in venditione, emptione : æqualitatem itaque servat in commutationibus et contractibus. *Distributiva* respicit proportionem meritorum : est etiam virtus generalis vel particularis prout consideratur in persona publica, qua publica est, vel in unoquoque privato. Ad commutativam et distributivam revocatur *vindicativa :* est pars justitiæ commutativæ (II, 445), quando vindicta publica pro tali delicto expresse vel tacite determinata fuit a lege : v. g. cum pactum initur a republica cum judicibus de puniendis reis, servata proportione ad delicta, judices ex justitia commutativa tenentur ad sontes sic puniendos. Dum pœna relinquitur ad arbitrium judicis, vindicta spectat ad justitiam distributivam. Idem dicendum de justitia *remunerativa.*

63. — *De partibus potentialibus*, seu de inferioribus partibus ac veluti speciebus justitiæ. — Justitia, ut constat ex dictis, est virtus quæ inclinat ad jus suum unicuique reddendum. Porro ille quem respicit justitia, potest esse vel Deus ipse, vel homines, vel etiam Deus et homines simul.

1° Justitia, prout nos inclinat ad reddendum Deo id quod illi debemus, dicitur *religio*, quæ est vel *interna*, si in solis potentiis internis sistat, et tunc dicitur animi *devotio;* vel *externa*, dum externo corporis gestu mani-

festatur, et tunc involvit *adorationem*, *sacrificium*, *votum*, etc.

2° Prout respicit hominem solum, et quidem 1° superiores, est *pietas*, si sermo sit de parentibus, — *observantia*, si agitur de honore, obedientia hominibus in dignitate constitutis reddita; 2° si spectat ad omnes homines indiscriminatim, est vel *affabilitas*, vel *liberalitas*, vel *gratitudo*, vel *clementia*, vel *amicitia*, quarum notio neminem fugit.

3° Si respicit Deum simul et homines, est vel *fidelitas*, si agitur de promissis, vel *veritas* moralis (I, 151).

64. — III. De temperantia. Duobus præsertim modis temperantiæ vocabulum usurpatur : 1° Pro quadam in operando moderatione seu mediocritate, quam ratio operationibus et passionibus humanis imponit; et hoc modo est quid commune omnibus virtutibus : 2° et stricte pro illa virtute morali quæ appetitum refrenat circa delectationes corporales, præsertim circa gustum et tactum.

Definiri potest : ***Virtus moralis quæ, ad præscriptum rationis, appetitum moderatur circa voluptates corporales, præsertim gustus et tactus.***

Objectum temperantiæ sunt voluptates *corporales*, præsertim gustus et tactus. Corporales dicuntur quæ per sensus externos capiuntur; spirituales, quæ sequuntur operationem mentis aut phantasiæ : circa hujusmodi non est proprie temperantia; imo et circa omnes voluptates *corporales* non versatur hæc virtus; nemo enim intemperans dicitur, qui aspectu cœlorum situsque amœni, aut cantu delectatur, sed qui gustus et tactus voluptatibus indulget, aut delectationibus quæ mediate ad prædictas voluptates se referunt.

65. — *De diversis partibus temperantiæ*. Divus Thomas triplicis generis partes assignat hujus virtutis, nempe integrales, subjectivas et potentiales : 1° Partes *integrales*, seu quæ ad temperantiæ perfectionem aut integritatem pertinent, sunt *verecundia*, seu timor turpis actus confusionisque ex illo provenientis et *honestas*, subjective sumpta, seu quatenus inclinat ad opera temperantiæ, ob amorem pulchritudinis spiritualis,

2° Partes *subjectivæ*, seu quæ proprie habentur ut species temperantiæ, sunt *abstinentia*, si temperatur gustus

circa cibum; *sobrietas*, si eumdem gustum moderamur circa potum; *castitas*, quæ delectationes tactus cohibet circa principalem actum generationis, et *pudicitia*, circa actus præambulos aut circumstantes, ut aspectus lascivos, amplexus, tactus, etc. Hinc duæ partes subjectivæ attenduntur circa diversam rationem sub quâ considerari potest objectum, seu circa diversitatem formalem materiæ.

3° Partes *potentiales* temperantiæ sunt virtutes quæ, non secus ac temperantia, nostros refrenant affectus in aliquid inordinate tendentes ab objectis gustus et tactus diversum. Ex istis partibus aliæ coercent motus internos, ut *continentia*, *humilitas*, *mansuetudo*, prout agitur de refrenandis motibus internis, aut voluntatis, quadam turpi passione agitatæ, aut iræ in vindictam. — Aliæ refrenant motus externos, ut *modestia*, quæ circa gestus corporis decenter componendos occupatur, et *eutrapelia*, quæ ludis et jocis modum imponit, ne quis inter ludendum et jocandum excedat. Omnes ergo istæ virtutes rationem temperantiæ includunt; sed extra dominium propriissimum hujusce virtutis se porrigunt, ideoque merito appellantur partes *potentiales*, quum extensionem quamdam virtuti cujus sunt partes tribuant (I, 100).

66.— IV. De fortitudine. Fortitudinis nomen dupliciter accipi solet, nempe 1° pro firmitate in bono honesto, et hoc modo omnibus virtutibus congruit fortitudo : fortitudo sic sumpta est generalis virtus, seu potius conditio omnium virtutum; 2° pro firmitate animi in malis arduis *sustinendis* et justis periculis *aggrediendis* ut a præcepto rationis non recedat; et in hoc sensu est virtus specialis, cui duo actus assignantur, *aggredi* et *sustinere*.

Definiri potest : *Virtus moralis seu habitus electivus, præbens animi firmitatem et robur in perferendis laboribus et justis periculis aggrediendis propter honestatem.* Dicitur *habitus electivus*, ut distinguatur a virtutibus intellectualibus : electio enim pertinet ad voluntatem. — *Præbens firmitatem animi :* unde ejus munus non ex solo actu externo, seu ex ipsa periculorum aggressione et laborum perpessione repetitur, sed ex ipsomet actu interno, scilicet, velle aggredi ardua, et hoc, *propter honestatem*.

67. — *De partibus fortitudinis.* 1° Nullæ *partes subjectivæ* illi assignantur, quia versatur circa materiam admodum specialem, quæ sub diversis rationibus formalibus considerari nequit, quatenus se refert ad fortitudinem. Hæc materia specialis sunt maxima pericula, ut vitæ discrimen adeundum; id omne ergo quod terrorem incutere potest præter periculum mortis, est etiam objectum fortitudinis, sed commune, non autem speciale.

2° *Partes integrantes*, quæ nempe sunt necessariæ ad integrum fortitudinis officium (etsi ex ipsis hæc virtus intrinsece non coalescat), quatuor sunt : equidem ad primum actum fortitudinis, scilicet ad aggrediendum (ut ille actus perfecte integreque fiat), requiritur 1° promptitudo animi ad imminentia pericula intrepide aggredienda, propter honestatem ; et id præstat *fiducia* seu *magnanimitas;* 2° strenuitas in executione, et hanc tribuit *magnificentia.* Prima ergo pars integrans pertinet ad animi præparationem, altera vero ad operis executionem.

Ad secundum actum, seu ad *sustinendum*, duo etiam desiderantur : 1° ut animus in laborum imminentium difficultate non frangatur, ad quod confert *patientia;* 2° ut ex continua malorum perpessione homo patiens non deficiat, et ad id valet *perseverantia.*

3° Istæ partes, quatenus considerantur in propria materia fortitudinis, id est in periculo mortis, dicuntur *integrantes.* Si vero spectentur in objecto communi, nempe in aliis quibusdam materiis minus difficilibus, dicuntur partes *potentiales;* fortitudinem enim imitantur, licet ad ejus perfectionem usque non deveniant, ideoque analogice rationem fortitudinis includunt, et simul extra ejus propriissimi dominii ambitum sese porrigunt.

68. — Etsi fortitudo virtuti humilitatis e diametro opponi videatur, tamen cum ipsa optime stare potest. Dum enim animo revolvimus hanc veritatem, nempe omnia quæ habemus esse dona Dei ad comparandam vitam æternam nobis indulta, nascitur quidem 1° persuasio quod ex nobis nihil sumus et nihil possumus, seu affectus quidam humilis; sed simul 2° quidam excelsus affectus, ob sublimitatem vocationis nostræ et

firmissima fiducia in sufficientia mediorum, quæ Deus sciens et volens nobis elargitus est, ad superanda omnia viam salutis præpedientia.

§ III. — De habitibus pravis, seu de vitiis.

69. — Homo per vitia ad malum inclinatur, non secus ac impellitur ad bonum per virtutes. Itaque vitium definiri potest : *Mala qualitas mentis qua male vivitur et nemo bene utitur.* Est veluti quædam ægritudo spiritualis quæ inclinat ad operandum contra rationis præceptum, ac proinde est aliquid contra naturam, quandoquidem agere contra rationem est operari contra id quo homines sumus seu a brutis distinguimur.

70. — Causæ vitiorum sunt vel intrinsecæ vel extrinsecæ. *Intrinsecæ* sunt 1° ignorantia, quæ lumen rationis dirigentis exstinguit; 2° malitia voluntatis, quæ vetitum quandoque appetit; 3° appetitus sensitivus, qui rationem et voluntatem turbat. — Antea locuti sumus de passionibus (II, 181), quæ sunt variæ motiones appetitus sensitivi, necnon ad bonum vel ad malum inclinare possunt.

Extrinsecæ sunt res omnes exteriores quæ hominem impellunt ad peccatum : sunt itaque diabolus et mundus theologice seu pro tribus concupiscentiis sumptus, qui hominem continuo influxu impellunt ad malum, atque determinant habitus pravos.

71. — Objectum vitii est bonum deordinatum, seu quod contra ordinem rectum possideretur. Sed bonum potest esse vel *spirituale* vel *corporale*, ideoque vitia generatim dividi solent in spiritualia, quæ in bonum spirituale, v, g. famam, honorem, etc., deordinate intendunt, et in *corporalia*, quæ bonum corporale, ut delectationes gustus vel tactus, inordinate prosequuntur.

Vitium, ratione tum subjecti tum objecti spectatum, eodem modo dividitur ac virtus; itaque, sicut sunt quatuor generaliores virtutes, ita vitia in quatuor generaliora distribuuntur, nempe, *imprudentiam, injustitiam, intemperantiam et vitium contra fortitudinem.*

72. — I. De imprudentia. Duplici modo contra prudentiam peccatur, nempe per excessum et per defectum. Per defectum 1° *præcipitatione*, dum opus statim quis aggreditur, omissa deliberatione; 2° *inconsideratione*,

dum judicium profertur sine debita inspectione; 3° *inconstantia*, dum mutatur consilium, sine causa sufficienti; 4° *negligentia*, quando executioni non mandatur res mature deliberata et judicata.

Per excessum peccatur contra prudentiam, quando quis, specie et imagine prudentiæ, media apte disposuit ad finem pravum. Illud enim genus prudentiæ sagacem agendorum notitiam importat et rectam, saltem in ordine ad optatum finem, mediorum dispositionem : sed pravum finem intendit. Vitia ergo quæ per excessum peccant contra prudentiam, sunt 1° *prudentia carnis*, qua quis excogitat media idonea ad opera mundana seu carnis complenda; v. g., ad honores, ad divitias, etc., 2° *astutia*, quæ est notitia et affectus mediorum fallendi idoneorum, 3° *fraus et dolus*, qui est astutiæ executio in factis et verbis.

73. —II. De injustitia. Injustitia sumi potest pro omni violatione æquitatis, aut pro vitio peculiari quod opponitur justitiæ particulari; et in hoc sensu hic sumitur.

Est itaque habitus voluntatis virtuti justitiæ oppositus, ex injustis actibus acquisitus; ergo species injustitiæ determinantur per ipsas species justitiæ. Sed quando consideratur speciali modo in homine qui prave determinatur ad rapiendum alteri quod suum est, illud vitium diversa accipit nomina, juxta diversitatem bonorum in quibus homo injustus lædit proximum. Injustitia contra *bonum fortunæ* dicitur furtum, contra *bonum corporis* est homicidium, mutilatio, stuprum aut adulterium; contra bona *honoris et famæ* est detractio; sed istæ denominationes potius actus seu peccata indicant quam habitus seu vitia.

74. — III. De intemperantia. Cum temperantia appetitum moderetur circa voluptates corporales gustus et tactus, patet intemperantiam excessum importare in ejusmodi voluptatibus.

Intemperantia in gustu nuncupatur *gula* quando opponitur abstinentiæ, *ebrietas* dum sobrietati adversatur; intemperantia in tactu *luxuria* vocatur.

75. — IV. *Vitia* quæ fortitudini varie opponuntur, sunt *præsumptio*, seu nimia suarum virium confidentia, *ambitio*, seu inordinatus appetitus honoris, *vana gloria*, quæ est inordinata cupido famæ et laudis, ex qua nascuntur *jactantia*, *hypocrisis*, *pertinacia*, etc.

Hæc vitia per excessum magnanimitati speciatim opponuntur, cui etiam per defectum adversatur *pusillanimitas*, qua quis suis viribus ita diffidit, ut refugiat officia sibi recte imposita explere.

Vitia quæ aliis virtutibus fortitudini adnexis opponuntur, per ipsam negationem harum virtutum, non autem nomine proprio, designari solent.

CAPUT II

DE PRINCIPIIS DIRECTIVIS.

76. — Hactenus de principiis elicitivis disputavimus, sive nativis et essentialibus, sive acquisitis et superadditis seu accidentalibus. Sed hæc principia, ut elicitiva, se referunt ad *esse physicum* actuum humanorum, inde ad *objectum materiale* præsentis disciplinæ; quamobrem ad principia directiva seu determinativa *esse moralis* nunc migrari oportet : hæc principia ad *objectum formale* Ethicæ determinandum spectant.

Jam in secundo articulo superioris capitis gradum fecimus ad præsentem disputationem, siquidem distinctio inter habitus honestos, seu virtutes, et habitus pravos, seu vitia, unice fundatur in relatione cum principiis directivis. Tamen de istis habitibus, methodi rectæ causa, tractare oportebat antequam ad principia directiva deveniremus :

Equidem habitus considerari possunt 1° sub ratione formali *habitus*, ut unice superius fecimus, 2° sub ratione formali *principiorum* boni operis vel peccati; jam vero sub hoc secundo respectu, subaudiunt jam constituta principia directiva; at non item sub priore, habentur enim tunc ut vires activæ : aliunde distinctio generalis inter virtutes et vitia id tantum innuit, nempe dari quædam principia directiva. Itaque gradu recto, opinor, tractare oportet de habitibus, sub ratione formali habitus, antequam ad principia directiva se convertat commentatio.

In præsenti capite, agemus 1° de principiis directivis in genere, 2° de principiis directivis in specie, tum externis, tum internis.

ARTICULUS I.

De principiis directivis in genere.

77. — Quum actiones humanæ sint aliæ honestæ, aliæ turpes, quærere oportet undenam in istis obveniat honestas vel turpitudo? Hæc qualitas honestatis vel turpitudinis est id quod nuncupatur *moralitas*. Porro, moralitas in honestatem et turpitudinem distinguitur per respectum ad regulas seu principia directiva morum ; quamobrem, in præsenti articulo agemus 1° de moralitate actionum humanarum et de necessitate principiorum directivorum; 2° de eorumdem principiorum genuino conceptu et divisione.

§ I. — De moralitate.

78. — Moralitas actuum humanorum est ipsum objectum formale Ethicæ. In actibus humanis, ut jam diximus, duo sunt distinguenda, nempe entitas et moralitas. Entitas actus moralis in eo sita est, quod sit quædam operatio vitalis : hanc consideravimus in superiori capite; moralitas est ordo hujus actus ad honestatem : v. g. omnes actus indeliberati sunt in genere naturæ tantum; omnis autem actus deliberatus est simul in genere naturæ et in genere morum; unde omnes et soli actus deliberati pertinent ad ordinem moralem. In quonam proprie moralitas ponenda sit inquirere oportet.

De existentia moralitatis, quam alii directe alii indirecte negarunt, non est cur agamus : nam hæc veritas eadem evidentia constat ac ipsa existentia libertatis et destinatio hominis ad finis ultimi consecutionem actionum suarum exercitio. Cum igitur actus humani non sint sine regula, sine moralitate etiam esse nequeunt.

Moralitas differi ab *imputabilitate*, quæ actibus humanis eatenus competit, quatenus ipsi ad causam, unde procedunt, seu proprium auctorem referuntur. Itaque utriusque notio diversa est, et moralitas, seu bonitas vel malitia actus humani, intelligitur præcedere imputabilitatem. Tamen aliquando esse physicum actionis potest alicui imputari quin ejus esse morale impute-

tur : v. g., quando quis ignoranter egit. Ergo moralitas et imputabilitas non convertuntur.

Sequitur quod moralitas sit respectus actus *ad ordinem rationis* et imputabilitas *ad subjectum*, tanquam ad causam. Sed ulterius notandum est, quod imputantur tantum actus quorum causa est libera; nam solum agens liberum est vere auctor et causa actionis, ac proinde solæ actiones moraliter bonæ vel malæ sunt imputabiles.

Verum etsi discrimen reperiatur inter moralitatem et imputabilitatem, tanquam inter formale actionis moralis, et id quod hanc rationem formalem sequitur et supponit, tamen cum omnis actio moralis sit libera, ac proinde imputabilis, fit ut hæc duo in actione humana semper consocientur.

Jam vero plures sunt errores circa fontem seu supremam regulam moralitatis :

1° Hobbesius (1) omnem moralitatem a legibus humanis pendere autumavit; et nonnulli ejus discipuli qui contendunt supremum principatum, ac proinde potestatem legislativam esse penes populum, statuerunt consequenter hanc moralitatem non proprie a legibus, sed potius ex opinione et consuetudine populorum derivari. Hæc doctrina Hobbesii nostris temporibus longe lateque fluxit, ita ut hodie multi etiam catholici incauti, impulsu eorum qui actu gubernium detinent fere unice ducti, nesciunt distinguere inter legalitatem et jus aut moralitatem. Hic error exitialis est una ex præcipuis causis perturbationum politicarum.

2° Puffendorf (2) bonitatem vel malitiam actuum humanorum unice repetit ex libera Dei voluntate, et lege divina positiva.

3° Athei, materialistæ, post Helvetium et Robinetum regulam moralitatis reponunt in *instinctu* seu *sensu morali* organico.

4° Rationalistæ quodcumque principium dirigens objectivum plus minusve directe rejicunt, atque autonomiam rationis in ordine morali tuentur : ratio ergo, juxta ipsos, est unica regula, quæ proinde nulli normæ

(1) De cive c. 12.

(2) De jure nat. et gent. l. I. c. 5 et 7.

objectivæ cujuscumque generis obnoxia realiter foret. Quapropter sicut Hobbesiani et Pseudo-politici a ratione publica proxime moralitatem repetunt, ita rationalistæ a ratione individuali.

79. — Thesis I. *Actuum humanorum moralitas non pendet a legibus humanis, neque ab opinione populorum.*

Probatur 1ª *pars.* Aliquando leges humanæ reputantur injustæ, imo de earum justitia vel injustitia homines singuli judicium ferre solent, et quandoque cum plena evidentia rectitudinis judiciorum. Atqui, si moralitas unice penderet ex legibus, 1° numquam leges essent injustæ, quippe quum essent justæ eo ipso quod sunt leges : ratio justitiæ ab ipsa ratione legis unice deflueret; 2° de earumdem bonitate vel malitia nunquam judicaremus, quum constituerent unicam regulam bonitatis et malitiæ, ac proinde nullum criterium adhibere possemus ad ferendum tale judicium; 3° leges inter se numquam essent pugnantes, secus nihil esset in se et absolute moraliter bonum vel malum : quod est contra sensum communem omnium hominum. Ergo tum ratio individualis, tum sensus communis, affirmant fontem primarium moralitatis reponi non posse in legibus humanis.

Probatur 2ª *pars.* Opiniones 1° sunt variæ, mutabiles, quandoque inter se pugnantes; 2° non sunt causa sui ipsius. Prius membrum constat ex facto, quod neminem fugit, seu ex ipsa experientia omnibus obvia; alterum ex evidenti ratione : si opinio haberetur ut causa sui ipsius, nempe si ad taliter opinandum homines inducerentur ex hac ipsa opinione, jam sequeretur hoc absurdum : opinio esset antequam esset, nempe simul esset et non esset. Esset, quatenus motivum ad ipsammet cudendam movens; non esset, nam non est aliud quidquam nisi partus mentis ex hoc motivo motæ.

Atqui, 1° judicia de honestate et turpitudine actionum humanarum sunt immutabilia et uniformia apud omnes gentes et in omni tempore. Ergo impossibile est ut hæc judicia in ipsa opinione fundentur, seu ut opinionem, tanquam moralitatis regulam, habeant.

2° In hypothesi adversariorum, opinio esset causa sui ipsius, siquidem est fons primarius bonitatis et malitiæ; ideo ipsa opinio esset unica ratio efformandi tale judicium de moralitate actionum, seu *taliter opinandi*. Ergo actionum humanarum moralitas ab opinione populorum non pendet.

80. — Thesis II. *Regula moralitatis reponi nequit in aliquo instinctu seu sensu morali organico, sed ad intellectum et rationem pertinet* (contra Robinet et quosdam materialistas).

Probatur 1ª *pars*. 1° Discretio inter actus bonos et malos non potest haberi sine aliqua cognitione. Atqui cognitio illa non potest esse nisi rationalis : actus enim, quatenus humani et quoad moralitatem, pendent a voluntate, quatenus est libera et domina suorum actuum; sed voluntas, ut libera et domina suorum actuum, pendet a ratione, non ab aliquo sensu in organis corporeis existente (II, 303, 304; III 37, 38).
Probatur 2°. Sensus corporeus seu *gustus moralis* nequit discernere inter bonum et malum morale nisi per motionem corporalem; sed motus corporales sunt indifferentes ad bonum et malum. Deinde sequeretur quod bruta hanc regulam moralitatis habere possint.
Probatur 3°. Gustus sensibiles non sunt uniformes : variantur pro ratione ætatis, consuetudinis, valetudinis aliarumque causarum, ut constat experientia evidenti; atqui regula morum debet esse invariabilis, secus id quod hodie est honestum, cras posset fieri inhonestum. Ergo moralitas nequit reponi in aliquo sensu morali organico, seu in commotione *filamentorum organicorum*, ut volunt acutiores materialistæ nostræ ætatis.
Probatur 2ª *pars*. *Judicium moralitatis ad intellectum et rationem pertinet*. Jam resultat ex dictis in prima parte. Præterea judicium moralitatis in quadam relatione internoscenda consistit : id constat ex ipso conceptu moralitatis. Atqui cognitio alicujus relationis ad intellectum vel rationem pertinet : ad intellectum, si per se illico patet; ad rationem, si ad invicem refert terminos valde dissitos, quorum proinde habitudo nonnisi per ratiocinium detegi potest. Ergo.

81. — *Corollarium.* Ergo illud judicium non pertinet ad aliquem particularem instinctum moralem, etiam in sensu scholæ scoticæ, quæ autumat judicia moralia ex cæco quodam impetu naturæ rationalis proficisci, qui etiam ab ipsis, post materialistas, vocatur sensus moralis, significatione tamen longe absimili : nam hic sensus, juxta prædictam scholam, est facultas plene spiritualis, imo longe præstantior intellectu et ratione, utpote suprema regula totius vitæ hominis. Hujus erroris fundamenta jam superius evertimus. (I, 241, 3°). Deinde, si sensus ille est facultas spiritualis, non potest differre ab intellectu et ratione; namque 1° si esset habitus seu instinctus cæcus voluntatis, tunc ratio non esset norma voluntatis, quæ proinde non esset appetitus rationalis; 2° si est impetus naturæ extra et supra perceptiones et judicia facultatis intellectivæ, redeunt in re morali judicia illa cæca et irrationabilia, quæ superius rejecta sunt (I, 241).

82. — THESIS III. *Ratio humana non est autonoma in stabilienda moralitate actuum humanorum.*

Nota. Rationalistæ, post Kantium, autumant rationem humanam esse plane independentem a quocumque principio objectivo superiori in determinanda moralitate actionum humanarum : in hac ergo determinatione nulli prorsus imperio subjecta est, seu est autonoma (αυτος νομος); aliis verbis, ratio quatenus autonoma ad obligationem explicandam assumere nequit nisi rationem ipsam.

Probatur. 1° Ex consideratione ipsius essentiæ hominis. Moralitas non potest aliter concipi ac ordo quidam, seu relatio actus voluntatis ad aliquod principium, cui obnoxius est operans; itaque illud tantum ens quod esset plane independens a quolibet principio objectivo, et se ita esse indubie sciret, autonomia in ordine morali frueretur; igitur ratio illa in stabilienda moralitate esset autonoma quæ foret facultas entis prorsus independentis a quolibet alio ente. Atqui homo, cum omnibus suis facultatibus spectatus, est ens dependens (II, 4) : notitiam ejus dependentiæ habet, nam ratio humana ideam entis infiniti declinare nequit (II,

314); et illam declinare velle idem est ac notionem omnis obligationis perimere, ut suo loco ostendemus. Ergo, cum in homine et in omnibus ejus facultatibus reperiatur ordo dependentiæ alicui principio objectivo, autonomia rationis, in stabilienda moralitate actuum humanorum, est manifesta absurditas.

Probatur. 2° Spectata indole rationis et cognitionis. Ratio ordinatur ad verum cognoscendum, nimirum hæc facultas debet referre objectum sicuti est in se, non autem pro libito sibi cudere quamlibet expressionem objecti cogniti : secus similitudo objecti, qualis est cognitio, posset non esse similitudo objecti, quod manifeste pugnat in terminis. Quis negare posset rationis simpliciter cognoscentis veritatem mensurari per objecta cognita? Atqui mensurari secundum aliquod principium objectivum idem est ac esse huic principio obnoxium, ideoque ratio quæ alicui normæ in suis operationibus subjacet, non potest sub ullo respectu dici suprema et unica regula. Ergo hæc autonomia rationis est figmentum non minus pugnans cum natura rationis, quam absonum a vero hominis conceptu.

83. — *Scholium* I. Hæc doctrina rationalismi hodierni manifesto est surculus pantheismi. Intellectus enim entis infiniti certo non subjacet rationi alicujus entis superioris; sed est suprema regula cujuscumque boni et mali.

Scholium II. Sicut omnis actio voluntatis præsupponit aliquam actionem intellectus, seu judicium de bonitate objecti, ita hoc judicium, ut verum et rectum sit, præsupponit objectum tale quale judicatur.

84. — THESIS IV. *Libera Dei voluntas et lex divina positiva non est unicus fons moralitatis.*

Nota. Hæc doctrina est surculus protestantismi qui nullam aliam legem admittit quam Scripturam, a singulis absque ulla regula externa, interpretatam.

Probatur. 1° Quod a libera Dei voluntate pendet, non est omnino immutabile, siquidem hæc voluntas dicitur libera quia effectus ita producit, ut contrarios facere possit; atqui moralitas plurium actionum est absolute immutabilis : v. g., occisio innocentis, pa-

rentum et Dei contemptus. Ergo cum voluntas Dei sit libera, et moralitas sit aliquando absolute determinata ad unum, impossibile est ut hæc voluntas sit unicus fons moralitatis.

2° Homo ad aliquem finem ordinatur, qui est consentaneus ipsi naturæ humanæ : sapientia enim divina nequit rem aliquam condere sine fine congruenti; atqui operationes sunt rectæ et ordinatæ quando ad proprium finem operantis adipiscendum juvant; secus sunt deordinatæ. Inde in homine operationes quæ pendent a voluntate, sunt rectæ seu bonæ quando fini collineant, pravæ quando a fine aberrant.

3° Sublata omni naturali rectitudine actionum, necessario tollitur omnis obligatio legis divinæ positivæ, ac proinde ipsa lex positiva, cum lex quæ non obligat, non sit lex; propterea doctrina Puffendorfii et quorumdam aliorum protestantium tollit omnem obligationem legis divinæ positivæ. Etenim tenemur lege divina positiva, quia naturalis ordo exigit ut mens hominis ordinetur sub Deo, et Deo sit subjecta, nimirum ob naturalem ordinem qui exigit ut inferiora superioribus subdantur.

Ergo moralitas non unice pendet a libera Dei voluntate et lege divina positiva, sed ab ordine nativo quem natura entis operantis ad suum finem habet, et ideo quædam actiones natura sua sunt bonæ et quædam malæ.

85. — THESIS V. *Actionum humanarum moralitas « 1° immediate pendet ab ordine objectivo rerum per rationem apprehenso, 2° mediate autem ab ordine divinæ sapientiæ et bonitatis »* (1).

Probatur 1ª *pars*. Rectitudo vel deformitas actionum cujuscumque entis immediate desumitur ex relatione congruentiæ vel discrepantiæ earumdem cum natura hujusce entis operantis; operatio enim proficiscitur ab ipsa natura, quæ suam conservationem et perfectionem appetit; quamobrem operatio generatim dicitur recta quæ est consentanea naturæ, nempe conservationem et perfectionem naturæ intendit; secus est deordinata seu mala.

(1) Liberatore, Eth. cap. II.

Atqui moralitas nihil est aliud quam ordo convenientiæ vel discrepantiæ seu rectitudo vel deformitas actionum in natura rationali. Ergo moralitas actuum humanorum immediate pendet ab illa natura objective spectata

Sed actiones eatenus sunt propriæ alicujus naturæ rationalis quatenus diriguntur per rationem. Creaturæ enim rationales non ab ipso auctore naturæ efficienter et absolute moventur, ut creaturæ irrationales, sed se regunt, seu habent jus se regendi suosque actus bene vel male ordinandi. Ergo actionum humanarum moralitas immediate pendet ab ordine objectivo rerum, non quidem præcisive sumpto, sed quatenus hic ordo per ationem apprehenditur.

Probatur 2ª *pars.* Ordo objectivus rerum pendet a divina sapientia et bonitate : rerum enim naturæ et relationes divina sapientia, divinam essentiam contemplante (I, 299), determinantur; atqui moralitas immediate pendet ab illo ordine. Ergo mediante ordine objectivo rerum, moralitas pendet ab ordine divinæ sapientiæ et bonitatis.

86. — *Scholium.* Norma voluntatis humanæ est ratio humana quatenus ordinem objectivum rerum recte apprehendit, ac proinde conformis est rationi divinæ, a qua pendet hic ordo. Sed ratio id habet quod recte apprehendat, quia est quædam participatio luminis divini (II, 259). Est enim facultas creata ad similitudinem intellectus divini.

87. — Ex dictis quædam eruuntur corollaria tum circa *fontes moralitatis* seu principia quæ actibus humanis speciem in genere moris conferunt, tum circa eorumdem actuum *imputabilitatem.*

88. — *Corollarium* I. Ex dictis sequitur actum voluntatis desumere primariam bonitatem moralem ex bonitate *objecti* hujusce actus, seu, aliis verbis, bonitas *formalis,* id est, qua actus formaliter est bonus, venit primario ex bonitate *objectiva,* quæ scilicet invenitur in objecto secundum rectam rationem amabili : bonitas enim objectiva formaliter est ipsa entitas rei bonæ, ut connotat relationem convenientiæ (I, 317) cum natura rationali. Hinc bonitas objectiva est prior bonitate actus, et antecedit rectum judicium de bonitate objecti, et rectam actionem voluntatis.

89. — *Corollarium* II. Actus humani suam moralitatem desumunt etiam *ex fine*, non tantum proximo et intrinseco, qui est idem cum objecto, et solet vocari finis *operis*, sed etiam *extrinseco*, seu *operantis*.

1° Si enim objectum de se sit indifferens, actus suum esse morale accipere a fine intento ab agente debet : nullum enim alium ordinem habet ad honestatem (77). Ergo ejusdem actus bonitas venit ex eo quod habeat rationem medii; et ratio adducta etiam valet, proportione data, si ageretur de *circumstantiis*, quibus objectum aliquam specialem et accidentalem relationem induit ad honestatem; finis enim extrinsecus inter circumstantias numeratur.

2° Cum actus jam ex objecto bonus est, tunc sumit novam speciem bonitatis ex ipso fine, si bonitas finis sit diversæ speciei a bonitate objecti. Voluntas amat objectum proxime propter intrinsecam bonitatem, et remote propter finem extrinsecum.

90. — *Corollarium* III. Actus, sive bonus sive malus, homini libere agenti, jure imputatur, nam homo libere agens est vere auctor et causa actionis, siquidem ab ipso pendet ut illa sit vel non sit. Porro, ut antea diximus (78), imputari idem est ac tribui alicui tanquam auctori. Qua de causa ipsa qualitas moralis etiam imputatur, ac proinde in honestate vel turpitudine actionis jure emergit laus aut vituperium.

§ II. — De conceptu et divisione principiorum directivorum.

91.— *Conceptus*. Jam ex dictis constat : 1° ideam ordinis universi quam Deus in mente sua præconcepit ab æterno, esse fontem *primarium* totius moralitatis, sicut idea architecti est norma quam habere debent præ oculis omnes operarii inferiores.

2° Illum ordinem divinæ sapientiæ in hoc universo, nempe in ordine objectivo rerum relucere, ac proinde in ipso dignosci posse per rationem : idea enim architecti fit concreta et omnibus adspectabilis in ædificio exstructo.

3° Rationem humanam hunc ordinem divinæ sapientiæ deprehendere per rectam cognitionem hujusce ordinis, qui est ectypus ideæ supremi opificis, et sic voluntati liberæ rectam viam ostendere.

Itaque plura sunt subordinata principia directiva actuum humanorum, quæ generalissime spectata revocantur ad duo, nempe: 1° ad *proximum* et *subjectivum*, quod est ratio dictans voluntati quid sit bonum, quidve malum, 2° ad *remotum* et *objectivum*, quod est lex æterna, seu idea ordinis universi in mente divina existens.

Sed lex æterna, ut diximus, a ratione humana cognoscitur in effectibus divinæ sapientiæ, ideoque in hujus infinitæ sapientiæ manifestationibus externis; quamobrem principia *objectiva immediate dirigentia* per ejusmodi manifestationes externas determinantur.

92. — *Divisio.* Jam vero cum ex una parte moralitas sit ordo actionum humanarum cum honestate, et ex altera parte honestas sit convenientia quam bonum aliquod vi suapte habet cum natura rationali (II, 318), fit ut *bonum naturæ*, non apparens sed reale, habeat rationem principii dirigentis. Voluntas enim non appetere potest nisi bonum (II, 206), et quando non appetit nisi bonum consentaneum naturæ rationali, recte appetit et operatur.

Bonum a philosophis scholasticis principium *alliciens* vocari solet, una cum fine et beatitudine; sed habet etiam aliquo sensu rationem principii dirigentis. Nam possessio boni est finis voluntatis, in quantum ei bonum ostendit, ut in eo ipsa motus suos finiat. Sed finis alicujus motus est aliquo modo regula et mensura hujus motus, ideoque finis haberi potest ut aliquod principium objectivum dirigens : illud vero principium dirigit per legem, quæ est quædam rationalis directio ad finem præstitutum.

93. — Quamobrem, ad fontem immediatum moralitatis (85) quod attinet, si illum adæquate consideramus, in ipso deprehendemus ut principia dirigentia : 1° finem naturæ humanæ, qui est aliqua norma legum, quibus natura hæc regitur, et regulam objectivam *generalem* constituit; 2° legem, quæ ordinem rationalem operationum humanarum ad hunc finem speciali modo exhibet, et est norma rationis dirigentis, ac regula objectiva *specialis;* 3° ipsam rationem sic lege informatam, quæ exhibet ordinem rectum quatenus cognitum; et hæc est regula proxima et subjectiva, seu principium directivum

internum, applicans regulam objectivam. Itaque, ex his principiis, alia subjectum alliciunt et dirigunt per modum termini motibus voluntatis assignati, alia per modum regulæ objectivæ, alia denique per modum normæ subjectivæ.

ARTICULUS II.

De principiis directivis in specie.

§ I. — De principiis externis.

94. — Inter principia externa quæ enumeravimus, quædam eatenus dirigunt quatenus movent et alliciunt : et talia sunt *bonum*, *finis*, *beatitudo*, quæ nunc pro uno eodemque usurpamus, sed sub speciali ratione finis; constituunt principium simul alliciens et dirigens : *finis est scopus nobis*, ut ait Aristoteles, *tanquam sagittariis propositus*.

Quædam vero principia directiva externa unice dirigunt ad debitum finem, non autem alliciunt; et hujus generis est lex. Itaque agendum est 1° de fine, qui terminum motus præstituit, et 2° de lege, quæ eumdem motum voluntatis liberæ regit, ut hæc non evagetur extra viam.

I. — De fine.

95. — Licet finis sit ultimum in assecutione, est tamen primum in intentione (I, 420), proindeque in cognitione, quia nil volitum quin præcognitum. Ergo de ipso prius agendum est, quando disputatur de moralitate actionum humanarum.

Scholastici, post Aristotelem, Ethicam auspicari solent ab ultimo fine morum humanorum, quia finis est mensura et regula totius rectitudinis moralis; nos etiam auspicamur ab illo, quando directe et specialiter agitur de *hac ipsa rectitudine* seu de *moralitate*.

Hic adnotandum est 1° finem *ultimum* (I, 419) esse vel *apparentem*, qui finis ultimi speciem ementitur, quemque plures ex libidine sibi instituunt, vel *verum*, propter quem omnia fuerunt formata, nempe propter quem cætera appetuntur, ipse vero propter se (I, 419, 4°).

2° Finis ultimus verus est vel *naturalis*, vel *supernaturalis :* naturalis quando homo cum solis naturæ viribus eum assequi potest; supernaturalis, si nonnisi speciali Dei auxilio comparatur.

96. — Thesis I. *Homo habet aliquem finem ultimum, et quidem unicum.*

Probatur prima pars. Si nullus esset finis ultimus actionum humanarum, jam in finibus intentis ab homine daretur processus in infinitum, quippe cum semper alliceremur per novos fines ad operandum, ac proinde semper moveremur. Atqui id est contra rationem et experientiam : 1° Contra *rationem*, quia ad illum processum infinitum requireretur ut homo fines numero infinitos cognoscat, aliter non posset semper unum finem ad alium ordinare; sed tenuissima hominis mens nequit fines numero infinitos cognoscere; ergo. Præterea tam repugnat processus in infinitum in causis finalibus quam in efficientibus; sed in causis efficientibus talis processus implicat; ergo processus hujusmodi in causis finalibus est etiam contra rationem. 2° Est contra experientiam qua constat quod semper quiescimus in aliquo.

Probatur secunda pars. 1° Finis ultimus est qui ad nullum alium ordinatur, sed ad quem omnia referuntur; atqui si plures essent fines ultimi, ad neutrum eorum omnia referrentur; unus eorumdem manifesto non ordinaretur ad alium. Ergo.

2° Finis ultimus debet perfecte satiare appetitum, secus non esset ultimus, nempe terminus omnium motuum appetitus; porro si essent plures, neuter perfecte satiaret appetitum, qui posset semper alium appetere. Ergo.

97. — *Corollarium.* Ex thesi ejusque probationibus colligitur necesse omnino esse ut omnia quæ homo appetit, appetat implicite vel explicite propter ultimum finem (1). Voluntas enim non potest appetere nisi bonum : porro bonum est vel primum et perfectum, et tunc idem est ac finis ultimus; vel est bonum imperfectum, inchoatum, et tunc per se ordinatur ad perfectum.

(1) S. Th. 1 2æ, q. 91, a. VI.

Et cum, ex una parte, voluntas appetat bonum prout proponitur ab intellectu, et ex altera, intellectus illud bonum prout in se est proponere debeat, sequitur voluntatem omnia appetere propter ultimum finem, seu perfectum bonum. Itaque destinatio hominis in hac vita est ut ad consecutionem ultimi finis se rite dirigat.

98. — THESIS II. *Directio hominis ad ultimum finem in ordine morali procurando et promovendo sita est.*

Probatur. Directio et dispositio hominis ad ultimum finem tres characteres complecti debet : 1° necesse est ut tribuat homini maximam perfectionem in hac vita possibilem, nam destinatio essentialis entis est evidenter ad ejus perfectionem; 2° collineare debet cum fine universali quem Deus in hujus rerum universitate condenda intendit; homo enim est pars, quæ ad totum se referre debet; 3° ejus executionem esse in cujusque hominis potestate oportet, nam agitur de ente libero, quod proinde debet ipsum suam destinationem in actum reducere. Atqui, in ordine morali procurando et promovendo, verificantur illæ tres conditiones : 1° ordo moralis est maxima hominis perfectio, siquidem ad partem rationalem refertur; 2° est ordo proprius creaturarum rationalium libertate præditarum, seu perfectiorum, ac proinde præcipua pars finis quem Deus in creatione rerum intendit; 3° bona ad mores honestos pertinentia ad rectum usum voluntatis se referunt, ac subinde sunt evidenter in potestate hominis. Ergo. (1).

99. — THESIS II. *Verus finis simpliciter ultimus est solus Deus.*

Probatur. Finis simpliciter ultimus est ille ad quem omnes actus nostri explicite vel implicite referri debent, et qui ipsemet ad aliud quodcumque ordinari nequit, qui etiam solus appetitum nostrum explere potest. Atqui in Deo solo istæ conditiones verificantur; nam 1° Deus solus inter omnia bona quæ homo appetit, est illud quod ad melius et universalius ordinari nequit; 2° Deus solus, seu summum bonum, omnes nostros appetitus satiare potest (102). Ergo Deus solus est finis ul-

(1) Liberatore, Ethica, c. I. a. 3.

timus, ad quem omnes nostræ actiones referri debent.

100. — *Scholium.* Etsi homines sponte naturæ suum finem ultimum appetant, tamen quandoque avertuntur ab illo bono in quo invenitur vera ratio ultimi finis, non autem ab ipsa ultimi finis intentione, quam alii in divitiis, alii in voluptatibus, etc., falso quærunt. Qua de causa omnes homines sua opera ad ultimum finem adipiscendum ordinant; sed bonum quod vere rationem ultimi finis habeat, agnoscere aliquando nolunt.

101. — *De beatitudine.* Finis ultimus sumi potest *objective* vel *formaliter* (I, 419); et quando consideratur in ordine ad appetitum, quem explere et quietare debet, dicitur beatitudo aut felicitas, quæ proinde est vel objectiva vel formalis. Beatitudo *objectiva* est summum illud bonum quod sui possessione reddit aliquem beatum; beatitudo vero *formalis* est ipsa consecutio beatitudinis objectivæ. Ex dictis superius aperte sequitur Deum solum esse beatitudinem objectivam (99). Deus est supremum omnium entium, a quo cætera omnia quidquid habent perfectionis exceperunt; ipse solus est summum bonum.

102. — Thesis I. *Beatitudo objectiva hominis in nullo bono creato consistere potest.*

Probatur. Beatitudo est summum bonum hominis, quo obtento appetitus satiatur et quiescit; agitur enim de perfecta beatitudine, quæ proinde excludit omnem miseriam et defectum, ac totaliter quietat vim appetendi, ideoque non potest consistere nisi in summo bono, quod in se nullum habeat defectum boni. Atqui 1° nec divitiæ, nec honores, nec voluptates sive corporeæ sive incorporeæ ut volebant Epicurei, nec nullum bonum creatum etiam honestum, ut sapientia et virtus, juxta placita Stoicorum, perfecte satiat appetitum nostrum, et excludit omnem defectum et miseriam, ut constat experientia; 2° objectum appetitus humani, qui est voluntas, est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ergo nihil potest quietare appetitum humanum nisi universale bonum, quod non invenitur in aliquo bono creato : omnis enim creatura, ut talis, habet bonitatem participatam. Itaque generatim con-

cludere possumus beatitudinem objectivam hominis in nullo bono creato consistere posse.

103. — *Quid est beatitudo formalis?* Circa naturam beatitudinis formalis plures sunt sententiæ discrepantes. Illæ tamen opiniones quæ beatitudinem formalem reponunt aut in visione Dei increata nobis communicata, aut in illa Dei operatione qua omnia deificantur, sunt evidenter falsæ; nam beatitudo formalis est actus vitalis quo homo ipse beatitudinem objectivam possidet; porro in recensitis opinionibus, hæc beatitudo consisteret in actu solius Dei.

Itaque, tametsi beatitudo *objective*, ut ait sanctus Thomas, sit aliquid increatum, *formaliter* tamen est aliquid creatum, adeptio scilicet vel fruitio ultimi finis.

Sed, antequam deveniamus ad expositionem sententiarum vere probabilium, necesse est ut ambitum in quo spatiari possunt istæ sententiæ vere probabiles, definiamus. Quapropter :

104. — Thesis II. *Beatitudo formalis consistit in operatione animæ rationalis.*

Probatur prima pars, scilicet beatitudinem illam consistere in *operatione*. Formalis beatitudo consistit in eo quo objectiva conjungitur cum beato; nam per solam conjunctionem cum summo bono, beatus in se habet unde sit beatus. Atqui sola operatio, et quidem illius qui beatur, id præstat, siquidem nemo potest conjungi cum bono extrinseco nisi per operationem, et operatio beatum non reddit nisi illum qui aliquomodo est particeps hujusce operationis. Ergo beatitudo formalis consistit in operatione.

Probatur secunda pars, scilicet eamdem consistere in operatione *solius animæ rationalis*. Beatitudo formalis est solius naturæ intellectualis, nam 1° est operatio perfectissima, et 2° versatur circa objectum summe spirituale; atqui operationes animæ, prout est vegetans et sentiens, 1° sunt longe imperfectiores, quippe cum brutis etiam competant; 2° sunt corporeæ, ac proinde homines cum objecto beatifico summe spirituali conjungere nequeunt. Ergo beatitudo formalis consistit in operatione animæ rationalis, seu intellectus et voluntatis.

105. — *Scholium.* Possunt tamen operationes sensus pertinere ad beatitudinem antecedenter et consequenter, non autem essentialiter, ut constat ex thesi: antecedenter quidem secundum beatitudinem imperfectam, qualis in præsenti vita haberi potest, nam operationem intellectus præcedit operatio sensus; consequenter autem in illa perfecta beatitudine quæ expectatur in cœlo, quia post resurrectionem, ex ipsa beatitudine animæ fiet quædam refluentia in corpus et in sensus corporeos. Sed :

106. — *In quanam præcise operatione spirituali consistat beatitudo formalis?* Controvertitur; sunt enim tres actus de quibus dubitari potest : 1° visio beatifica, 2° amor beatificus, 3° gaudium beatificum.

1° Thomistæ, post sanctum Thomam, beatitudinem formalem reponunt in visione Dei intuitiva, nam felicitas formalis est consecutio non tantum affectiva, sed effectiva summi boni; sed hæc consecutio fit per actum intellectus; illud enim bonum est intelligibile, seu bonum proprium naturæ intellectualis, cujus proinde potentia maxime propria est intellectus; ergo in operatione intellectus consistit beatitudo formalis.

2° Scotistæ docent hanc beatitudinem constare in solo amore fruitivo. Etenim beatitudo objectiva, inquiunt, reponitur in bono præstantissimo; sed operatio quæ per se attingit ultimum finem sub ratione præstantissimi boni est amor. Ergo solo amore fruitivo continetur beatitudo formalis.

3° Sanctus Bonaventura eamdem reponit in visione simul et amore, siquidem ex intellectus et voluntatis operatione completur natura rationalis, qua rationalis est.

4° Denique, juxta Aureolum, formalis beatitudo consisteret in illo sensu quo mens sibi conscia est se ita bene esse ut nihil ultra appetere possit; hunc sensum vocant (II, 181) gaudium beatificum. — Sed ut certa ab incertis distinguamus, ponitur

107. — THESIS III. *Formalis beatitudo, quoad integrum et perfectum suum statum, includit tres actus : visionem Dei, amorem et gaudium.*

Probatur. Beatitudo est integra summi boni posses-

sio; atqui integra hæc possessio tres prædictos actus includit; etenim, 1° sine visione non daretur perfecta consecutio; plenior enim posset expectari; præterea deficiente visione, deficerent pariter alii actus; itaque requiritur visio; 2° amor etiam non potest abesse quia necessario oritur ex visione; 3° nec gaudium, qui necessario oritur ex utroque, et est quasi complementum beatitudinis. Ergo.

108. — *Scholium* I. Si speciali modo ageretur de beatitudine *supernaturali*, primus ille actus de quo in thesi, esset visio *beatifica;* si de *naturali*, ille actus esset naturalis contemplatio Dei, quatenus rerum mundanarum Provisoris. Sed in beatitudine generatim inspecta, semper requiritur Dei contemplatio connaturalis statui hominis beati.

109. — *Scholium* II. Dum quærunt philosophi et theologi in quonam præcise actu consistat beatitudo formalis, operationem illam determinare cupiunt quæ per se id præcise diceret, in quo reponitur forma et essentia beatitudinis; itaque alii actus illum necessario comitarentur, cui ordinem dicerent; ad essentiam vero beatitudinis non pertinerent, sed ad ejus perfectum et integrum statum.

Itaque Thomistæ visionem beatificam, in qua præcise consisteret beatitudo formalis, definiunt : consecutio et possessio summi boni, quæ proinde poscit amorem et gaudium. Inde visio amorem et gaudium, tanquam de consequenti necessario, exigit. Scotistæ etiam amorem sumunt quatenus perfectissime nos Deo conjungeret, unde visio præsupponitur et gaudium exigitur tanquam consequens necessarium. Igitur omnes theologi consentiunt quoad declarata in thesi superiore.

110. — Thesis IV. *Si speciali modo ageretur de suprema beatitudine naturali, actus cognitivus quem includit, consistere nequit in clara Dei visione; sed in cognitione Dei perfectiori quæ per media naturæ proportionata obtineri possit, reponi debet.*

Probatur prima pars. Nostra naturalis de Deo cognitio est abstractiva, nempe obtinetur per opera Dei externa, quæ sunt pro nobis media cognitionis (II,

312); atqui nullum ejusmodi medium nos attollere valet ad claram Dei visionem, ut per se patet. Ergo cum naturalis beatitudo illa sit quæ consistit in operatione naturali, fit ut impossibile sit hominem naturaliter ad claram Dei visionem evehi.

Probatur secunda pars. Hæc beatitudo debet consistere utique in actu naturali, sed perfectissimo; id enim postulat ratio supremæ felicitatis; atqui præter cognitionem Dei perfectissimam, quæ per media naturæ proportionata obtineri potest, nullus alius actus naturalis cognoscendi excogitari potest. Ergo nonnisi in hac cognitione et aliis actibus ab illa enascentibus reponi posset suprema beatitudo naturalis.

111. — Thesis V. *Potest quis ratione naturali, seclusa fide, sin minus certo cognoscere, saltem probabilissime conjicere, quod, pro statu futuro, homo justus summam beatitudinem sit consecuturus.*

Nota I. Hic agitur de beatitudine prout fuit superius definita, nempe quæ tres actus includit (107), quin tamen definiatur an consistat in mediata vel immediata Dei visione ac possessione.

Nota II. In thesi diximus : *saltem probabilissime* conjicere, quia de hac re non omnes omnino conveniunt.

Probatur. Potest ratio naturalis Dei existentiam et immortalitatem animæ certo demonstrare (II, 140, 322, etc.); præterea experientia et sensus internus patefaciunt in anima immortali quemdam naturalem et perennem appetitum perfectæ beatitudinis; est enim in homine appetitus innatus et inexplebilis cognoscendi verum, diligendi bonum et fruendi utroque. Sed ex his notionibus, prona est illatio ad futuram beatitudinem quam homo, post hanc vitam, consequi debet (II, 141); necnon conclusio diversa cum principiis certis non ambigue pugnat. Ergo ratio naturalis futuram beatitudinem hominis justi ostendere valet.

II. De Lege.

112. — *Quid et quotuplex sit lex?* Legis vocabulum, juxta sanctum Thomam, venit a verbo ligare, quia lege astringimur ad taliter agendum. Lex potest con-

siderari 1° *in se*, et tunc est quædam regula quæ nos dirigit et obligat in nostris actionibus : ostendit enim quid sit agendum vel fugiendum; 2° in *legislatore*, et est actus ille complexus quo legislator judicat aliquid expedire bono communi, ac consequenter vult et imperat ut hæc vel illa regula a subditis servetur; 3° in *subdito*, et tunc nihil aliud est quam judicium practicum quo hic subditus judicat regulam a legislatore præscriptam et promulgatam sibi servandam esse. At, sub hoc respectu, non est regula externa, sed pertinet ad judicium, quod voluntatem dirigere debet.

Lex in primo sensu seu objective et in se inspecta a sancto Thoma definitur : *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata.*

Et quidem dicitur 1° *ordinatio rationis*, quia proprium est legis regere actus, seu eos ad debitum finem dirigere; et hæc directio activa a recta ratione proficisci debet, et ideo dicitur ordinatio rationis : per hanc partem innuitur prima origo legis.

2° Additur *ad bonum commune*, ut lex distinguatur a præcepto quod personis singulis imponitur, non toti communitati. Lex enim est regula communis; sed communis regula rationaliter ferri nequit pro bono privato : ordinaret enim totum ad partem, seu bonum commune ad privatum, quod est contra omnem rectitudinem.

Inde 3° *ab eo qui curam communitatis habet*, quia nemo communitati præcipere potest, nisi hujus communitatis gubernator.

4° *Promulgata*, quod sumitur pro notificatione legis facta subditis; lex enim applicatur subditis quando cognitioni eorum proponitur.

In eodem sensu, sed brevius definitur a Suarezio : *Commune præceptum, justum ac stabile, sufficienter promulgatum.*

113. — Lex generatim sumpta dividitur in *divinam* et *humanam*, prout est a Deo per divinam potestatem leges præscribente vel ab homine, potestate pure humana leges ferente.

1° Lex *divina* duplex est; *æterna* scilicet et *temporalis*. Prior est ipsamet Dei rectitudo ut prima veritas,

quatenus per eam, omnia prorsus ut recta sint, regulari debent; est ergo ratio rerum gubernandarum (91), quæ proinde includit conceptum divinæ mentis quo rectus ordo perspicitur, et voluntatem obligandi creaturam ad hunc ordinem in suis operibus sequendum.

Posterior vero est quam Deus in tempore creaturis præscripsit. Lex æterna non est per seipsam nota hominibus in hac vita, sed vel in aliis legibus, vel per illas manifestata. *Temporalis* etenim duplex est : *naturalis* nempe et *positiva*. *Naturalis* est ipsa lex æterna prout est rationali creaturæ dirigendæ applicata et indita, ut lumen quoddam naturæ. Natura rationalis est *fundamentum* honestatis naturalis, quatenus est fundamentum convenientiæ vel disconvenientiæ actionum humanarum ad ipsam. Et *vis* quam natura habet ad discernendum inter operationes convenientes vel disconvenientes illi naturæ (quamque vim rationem naturalem appellamus)est *ipsa* lex *naturalis*.Lex illa ergo est ipsa naturalis ratio hominis recte discernens actiones convenientes vel repugnantes naturæ humanæ in ordine ad beatitudinem æternam, seu ad finem ultimum. Lex naturalis propriissime consistit in actuali judicio mentis; sumi etiam potest pro ipso lumine naturali intellectus expedito de se ad dictandum de agendis. Itaque consistit in actu et aliquo modo in habitu.

Positiva ea est quæ signo aliquo promulgatur, voce nimirum aut scripto; idque fieri potest aut a Deo immediate, ut in decalogo et in legibus a Christo datis, vel mediate nempe per homines divina virtute, inspiratione et directione præcipientes.

2° Lex *humana* est vel *ecclesiastica*, vel *civilis*, prout homines dirigit in iis quæ spectant vel ad regimen spirituale et supernaturale, vel ad regimen temporale et humanum.

Lex humana etiam dividi solet ex diversitate modi quo fertur, in *scriptam* et *non scriptam*, seu *consuetudinem*. Prior est quæ a legislatore explicite fertur et scriptis commendatur; altera quæ moribus populi introducitur, et a legislatore rata habetur; itaque in lege scripta voluntas legislatoris mores populi antecedit eosque inducit; in lege consuetudinaria, mores antecedunt, et voluntas principis moribus accedit.

Consuetudo, ut habeat vim legis, conditiones legis præ se ferre debet; quamobrem debet esse 1° ordinatio rationis ad bonum commune, seu mores esse debent *rationabiles;* 2° debet esse *communis,* quia lex distinguitur a præcepto eo quod ligat totam communitatem; 3° mores consuetudinem inducentes, debent esse *constantes,* quia lex natura sua est perpetua, 4° *conformes* voluntati principis, quia lex ab eo qui curam communitatis habet, fertur. Non tamen requiritur expressa principis approbatio, ut de hac conformitate constet; voluntas enim principis est pro bono publico, et proinde quando constat bonum publicum revera et constanter hanc rationem agendi poscere, voluntas legislatoris censetur favere consuetudini. Hac de causa, jus canonicum et civile romanum duas tantum conditiones expostulant ut consuetudo vim legis habeat, *rationabilitatem* scilicet et *præscriptionem.*

114. — *De existentia legis naturæ.*

THESIS I. *Existit in homine lex naturalis.*

Probatur. 1° Ex testimonio conscientiæ, quæ laudat, accusat aut remordet, prout homo voci internæ paret, vel secus; porro vox illa interna non venit ex educatione, nam est constans, universalis et ineluctabilis.

2° Deus velle debet ordinationem creaturarum ad earum finem, per media hisce diversis creaturis accommodata; id constat ex solo conceptu sapientiæ divinæ. Atqui ordinatio entis ratione et libertate præditi, quod proinde suorum actuum est dominus, debet determinari per legem : illud ens non tam ducitur quam se ducit. Ergo cum perpetuo se regere debeat intuitu finis ultimi, necesse est ut lex ipsa sit menti ejus naturaliter insculpta.

115. — *Scholium.* Lex naturalis in Deo præexistere debet, qui est ratio ordinis rerum. In gubernatore enim reperiri rationem sufficientem eorum quæ a gubernatis efficiuntur necesse est : hæc lex, seu potius hic typus legis naturalis, lex æterna vocatur; et « sicut ratio rerum fiendarum per artem, inquit sanctus Thomas, vocatur ars vel exemplar rerum artificiatarum, ita etiam ratio gubernantis actus subditorum rationem

legis obtinet. Deus autem per suam sapientiam conditor est universarum rerum..., unde ratio sapientiæ... obtinet rationem legis (1). » Itaque lex naturæ presse definiri potest : ordinatio rationis, per sapientiam divinam facta, et per lumen rationis a Deo omnibus manifestata, præcipiens ea, quæ rectæ rationi sunt consentanea, contraria prohibens, permittens indifferentia.

116. — THESIS II. *Lex naturalis fundamentum est legis positivæ, et ipsa fundamentum habet in supremo Dei dominio in res omnes.*

Probatur prima pars. 1° Ostendemus infra (119, 120) legem naturalem esse prorsus immutabilem, et constituere regulam primordialem honestatis; atqui leges positivæ sunt mutabiles, adventitiæ. Ergo legem naturalem offendere nequeunt leges positivæ, ac proinde huic legi sunt obnoxiæ.

2° Lex naturalis necessario connectitur cum essentia creaturæ rationalis, seu subjecto hujus legis; atqui omnes leges, quæ sunt ordinatio rationis ad finem, ad naturam hominis evidenter dirigi debent : finis enim naturæ ipsi respondeat necesse est. Ergo omnes leges in lege naturali fundamentum habent.

Probatur secunda pars. Per fundamentum legis naturalis intelligitur titulus ex quo emergere concipitur jus in Deo illam præscribendi; sed titulus quo Deus talem directionem hominibus imponit, est titulus Domini seu auctoris. Ergo.

117. — THESIS III. *Primum præceptum legis naturalis seu universalissimum, ab alio præsupposito non derivatum, et fons ac radix aliorum, est sequens : Bonum est faciendum et malum vitandum.*

Probatur. Ratione D. Thomæ (2) : Sicut ens est primum in apprehensione (II, 267) simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis : omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni (II, 206), et ideo ratio boni universa-

(1) Summa theol. 1a, 2æ, Q. 93, a. I.

(2) Sum. theol. 1a, 2æ, Q. 94, a. II.

lissima est primum apprehensum a ratione practica. Itaque primum judicium practicum seu primum præceptum legis naturalis est quod bonum est faciendum et malum vitandum, namque immediate resultat ex conceptu boni : bonum est *id quod omnia appetunt*.

Posset etiam probari ex eo quod hoc præceptum 1° non derivat ab alio, 2° quia alia continet, atque 3° est incomplexum in se.

118. — *De duratione legum*. Constantia est unum de præcipuis attributis legis; itaque lex inducit obligationem perpetuam. Sed leges positivæ humanæ revocari possunt, et quidem vel ex integro, et hæc revocatio dicitur *abrogatio*, vel ex parte, et tunc est simplex *derogatio*. Id per se patet, nam lex pendet a voluntate legislatoris, quæ non est alligata, nisi ad rationem boni communis. At dubium moveri potest de lege naturali et positiva divina. Itaque :

119. — Thesis I. *Lex naturalis stricte sumpta, nullatenus mutari potest.*

Nota. — Consideratur lex naturalis *intrinsece;* nam *extrinsece* potest mutari, per mutationem alterius, nempe ratione mutationis in materia : v. g. pater, per mortem filii, amittit jura et officia patris.

Probatur 1° *generatim*, tum quia lex naturalis nihil aliud est quam naturale dictamen rectæ rationis, quod ubique et semper idem est, tum quia obligatio legis naturalis dimanat ex ipsa rerum natura, quæ mutari non potest.

Probatur 2° *speciali modo*. Lex mutatur per abrogationem vel derogationem; atqui nullo ex his modis lex naturalis mutari potest. Etenim 1° id quod lege naturali præcipitur, est *per se* bonum, et id quod prohibet, est *per se* malum, seu pugnans cum ratione recta; sed nullus potest reddere malum quod est intrinsece bonum, et vicissim. Ergo nemo potest *abrogare* legem naturalem.

2°. *Derogare* legi est illius obligationem tollere quoad aliquam sui partem; sed id omne quod prohibet lex naturalis, est per se inhonestum, et quod præscribit, est per se honestum. Ergo nisi quis efficere possit ut aliquid simul sit et non sit, derogatio non est minus impossibilis quam abrogatio.

120. — Thesis II. *Lex naturalis non accipit dispensationem proprie dictam.*

Nota. Dispensatio habetur quando tollitur obligatio legis pro aliquo homine in particulari, reliquis manentibus obligatis. Itaque per ejusmodi dispensationem conceditur alicui ut agat contra legem quando lex viget.

Probatur. Dispensare est aliquem hominem particularem reddere immunem a communi obligatione legis. Atqui id esset intrinsece malum, si ageretur de lege naturali; dispensatio enim hæc aliquem immunem redderet a lege essentialis honestatis, seu illi permitteret quod est intrinsece inhonestum. Ergo dispensatio in lege naturali haberi nequit.

Attamen præcepta juris naturalis quæ in obligatione quam inducunt, pendent a consensu voluntatis humanæ, v. gr. votum, juramentum, possunt aliquando per homines dispensari, non *directe* seu auferendo obligationem legis naturalis, quia hæc præcepta continent intrinsecam honestatem, sed *indirecte*, seu remittendo debitum ortum ex consensu humano, qui aliquo modo est obnoxius potestati humanæ. Itaque hæc dispensatio attingit, non ipsam legem, quæ in se nunquam relaxari potest, sed materiam quæ pendet a voluntate humana. Jus ergo naturæ *formaliter* et proprie loquendo mutari nequit, sed *materialiter*, improprie et indirecte, mutari potest, nempe ablatis vel mutatis conditione et circumstantiis a quibus forte penderet.

121. — Thesis III. *Lex divina positiva abrogari potest.*

Probatur. 1° Ex facto : quædam enim partes legis Mosaicæ fuerunt abrogatæ.

Probatur 2°. Omnis legislator potestatem habens leges pro libito condendi, habet pariter potestatem legem suam abrogandi et destruendi; est eadem facultas quoad utramque partem. Porro Deus est legislator qui habet potestatem condendi leges positivas; easdemque, non ex necessitate naturæ, sed pro libito condidit. Ergo potest easdem abrogare.

122. — *Scholium.* Quinque modis potest mutari lex

divina positiva : 1° Ratione status, si pro illo statu lex esset constituta : v. gr., lex circumcisionis; 2° ratione materiæ, quæ mutaretur : v. gr., spoliatio Ægyptiorum ab Hebræis; bona Ægyptiorum facta sunt propria Hebræorum in mercedem quorumdam laborum; 3° ex mera Dei voluntate, ut eruitur ex thesi; 4° ratione charitatis seu ad servandum præstantius præceptum : v. g., se morti tradere propter salutem proximi; 5° ratione præceptorum incompossibilium simul occurrentium : v. g., obedientia parentibus non debet exhiberi, si aliquid præcipiunt contra Dei mandata.

123. — *De sanctione legum.* Quamvis lex per se non dicat respectum ad præmia vel pœnas quibus cultores vel violatores retribuuntur, tamen inspecta hominis conditione, qui spe præmii vel metu pœnæ movetur magis quam virtutis amore, fit ut sanctio legi apposita, sit velut necessaria conditio executionis cujusque legis. Itaque ut lex sit efficax, pœnis vel præmiis, aut utrisque, sanciri debet. Per sanctionem legis intelligitur æqua et proportionata pœnarum vel præmiorum promissio illam violantibus vel observantibus, a legislatore facta et indicta.

124. — THESIS. *Lex naturalis sanciri debet præmiis et pœnis quæ ad futuram vitam pertineant*

Probatur prima pars. 1° Deus nequit sinere ut virtus a vitio, in entibus a se dependentibus, practice non discriminentur : alioquin Deus non esset sanctitas infinita, quæ permittere nequit absolute ut turpitudo cum honestate confundatur. Atqui, si Deus legi naturali sanctionem non daret, nullum ejusmodi remaneret discrimen : esset in ordine ideali seu conceptuum, non autem in ordine reali et practico, ut per se patet. Ergo.

2° Sanctio etiam requiritur, uti superius diximus, ut efficaciter subditi ad legis observantiam impellantur.

Probatur secunda pars. 1° Sanctio motivum sufficiens proponere debet ad legis observationem; atqui præmia aut pœnæ vitæ præsentis non suppeditant motivum adæquatum observationis præceptorum naturalium : nam quandoque virtus incolumis servari non potest nisi per jacturam bonorum temporalium, etiam vitæ præsentis. Ergo.

2° Confirmatur ex dictis (II, 140, 141) de immortalitate animæ et de futura vita.

125. — *Scholium.* Hæc sanctio in consecutione vel amissione finis ultimi consistit, ad quem actiones sunt veluti gressus (97), ante vel retro. At cum actionum innumeri fere dentur gradus bonitatis vel malitiæ, liquet maximam inveniri varietatem in remuneratione, quæ pro justis in finis ultimi possessione, et pro turpiter operantibus, in suppliciorum inflictione consistit.

126. — *De interpretatione legum.* Leges positivæ quandoque sunt obscuræ, ideoque interpretatione egent, quæ nihil aliud est, nisi legis obscuræ vel ambiguæ explanatio. Interprètatio 1° ratione *subjecti* a quo fit varie dividitur : si procedit ab ipso legislatore dicitur *authentica;* si ab ipsa communitate per uniformem rationem observandi legem, seu per consuetudinem, interpretatio dicitur *usualis* ; si a tribunalibus constitutis per ipsum legislatorem ad leges applicandas, interpretatio est *judicialis* ; applicatio enim supponit rectam interpretationem ; denique si a peritis fit interpretatio, hæc nuncupabitur *doctrinalis.* — 2° *Ratione modi* quo fit, dividitur in declarativam, extensivam et restrictivam. *Declarativa* habetur, quando fit congrua obscurorum vel dubiorum verborum legis expositio. Dicitur *extensiva*, quando, ob paritatem vel similitudinem rationis, fit productio legis ad casum vel personam quæ sub legis littera non continetur. Est *restrictiva*, quando ad assequendam mentem legislatoris, verba legis coangustantur, seu quando sententia legis magis coarctatur quam verba.

Interpres privatus legum præ oculis continuo habere debet dotes legislatoris, qui semper velle debet bonum publicum, juris et æquitatis conservationem, omnium suorum mandatorum executionem, et cum potestate efficaci loquitur, dum fert leges. Itaque voluntas legislatoris 1° semper supponi debet *utilis* et *justa :* inde interpretatio debet esse extensiva vel restrictiva, quotiescumque id requiritur ut lex non sit inutilis, injusta aut impia;

2° Supponitur proclivis ad ea quæ habent favorem juris, contraria iis quæ juris odium habent, nam legislator velle debet conservationem legis : inde axiomata interpretum : *Odia sunt restringenda; favores sunt am*

pliandi. Favorem juris habent : *lex præexistens, utilitas publica, clementia principis, libertas subditorum.* Quapropter id quod læderet unumquodque ex his quatuor, odium juris haberet.

3° Voluntas legislatoris talis præsumitur, qualem exhibent verba legis intellecta in suo contextu; nam legislator vult non modo hujus legis, sed omnium legum, executionem; et cum intelligentia rectissima ornari debeat, recte et perfecte vidit, ac proinde voluit, unam legem secundum quod cum aliis cohæret. Præterea, in interpretatione legis, minus agitur de interna legislatoris voluntate, quam de externa, quæ signis seu verbis manifestatur.

§ II. — De principiis internis seu de conscientia.

127. — *Quid sit conscientia?* Conscientia generatim inspecta (II, 204) non est potentia ab intellectu distincta, sed est actus quo intelligentia proprias operationes recognoscit. At conscientia dividi potest in *psychologicam* et *moralem*. Quando considerat utrum actus reapse sit vel aliquando fuerit in nobis, dicitur psychologica, quæ proinde unice advertit actus animæ. De illa locuti sumus in psychologia. Dum vero considerat utrum actus cum legibus morum consentiat necne, dicitur *moralis* : de bonitate et malitia actuum aliquid decernit. Hic non agitur nisi de conscientia morali.

Sed conscientia, prout respicit moralitatem actuum, sumi etiam potest in sensu latiori vel strictiori; 1° Latissime sumitur pro complexu omnium causarum concurrentium ad actum qui specialiter conscientia dicitur, quales sunt synderesis, lex naturalis rationi indita, judicium approbans bonum, et malum reprobans; 2° strictius, pro naturali habitu principiorum operabilium, qui tamen proprio nomine dicitur *synderesis;* 3° et strictissime, pro actu intellectus, qui bonum approbat et malum reprobat. Sumitur itaque potissimum pro duplici actu intellectus, quorum alter præcedit opus faciendum, et alter opus jam factum subsequitur. Prior actus est practicus, et consistit in judicio de honestate operis faciendi; posterior est speculativus

et consistit in judicio quo intellectus judicat bene aut male factum esse quod factum est; et sic *testificatur*, *accusat*, *reprehendit*, *laudat*, etc.

128. — Quemadmodum in ordine speculativo sunt aliqua principia immediata, per ingenitum rationis lumen naturaliter cognita (II, 273) : v. g. aliquid non potest simul esse et non esse, ita et in ordine practico sunt generalia principia naturaliter nota : v. gr., nemini faciendum est quod nobis fieri nolumus. Naturalis habitus generalium principiorum ordinis practici est id quod speciatim appellatur *synderesis*, id est *conservatio*.

Conscientia vero est actualis dictorum principiorum applicatio ad materias singulares. Ut id distinctius pateat, sit propositio sequens.

129. — Thesis I. *Conscientia non est synderesis, neque lex naturalis.*

Probatur prima pars. Synderesis, utpote habitus primorum principiorum, dictat in genere bonum esse faciendum et malum fugiendum. Atqui experientia constat conscientiam non tantum in genere, sed etiam in particulari, dictare *hoc* bonum esse faciendum, et *hoc* malum vitandum. Ergo cum principia agendi distinguantur ex operationibus, conscientia secernitur a synderesi.

Probatur secunda pars. Illa sunt diversa quorum unum est immutabile et alterum mutationi obnoxium; atqui lex naturalis apud omnes homines est eadem, semperque sibi constans et uniformis, dum conscientia diversa esse potest pro diversitate, nedum hominum, sed et temporum vel etiam habituum. Ergo conscientia a lege naturali, etiam subjective sumpta, distinguitur.

130. — *Scholium.* Scholastici sequentem practicum syllogismum proponunt, evidentioris distinctionis inter synderesim et conscientiam gratia :

Synderesis : Omne bonum est amplectendum.

Ratio subdit : Sed justitia est bona.

Conscientia : Ergo hæc justitia seu hoc justum est amplectendum.

Itaque intellectus, quatenus habitu naturaliter indito generaliora principia morum continet, dicitur synderesis; quatenus ingenito lumine naturaliter judicat quid

sit bonum vel malum, dicitur lex naturalis; prout apprehendit bonum et deliberat circa illud, nomen genericum intelligentiæ retinet; denique prout judicat in ordine ad operationem particularem, dicitur conscientia moralis.

131. — Thesis II. *Conscientia vim habet ligandi, seu est regula proxima actionum humanarum.*

Probatur. Conscientia est judicium practicum rationis quo hic et nunc cognoscimus actionem esse legi consentaneam, vel dissentaneam : proinde est interna legis expressio, seu ipsa lex prout immediate regit actiones nostras. Ergo voluntas, quæ conscientiæ dictamini reluctaretur, ipsa præcepta legis a se formaliter pelleret.

132. — *Corollarium.* Ergo quando conscientia, ex invincibili ignorantia, fallaciter judicat aliquid honestum esse, quod honestum non est, actus voluntatis qui conformis est tali judicio, est etiam honestus; honestas enim consistit in conformitate cum regula morum ; porro conscientia est regula proxima voluntatis, ideoque voluntas in hac hypothesi recte operatur.

133. — *Quotuplex sit conscientia?* Conscientia 1° ratione objecti, dividitur in *rectam* et *erroneam;* 2° ratione subjecti, in *certam* et *dubiam*, in *perplexam*, *scrupulosam* et *latam;* 3° ratione objecti simul et subjecti, in *probabilem* et *improbabilem.*

1° Conscientia est recta, quando judicat reapse secundum regulam objectivam morum, nempe quando ejus judicium conforme est regulæ externæ; id est, dum id quod judicat malum vel bonum est revera bonum vel malum. Si aliter dictaret ac objectum est in se, diceretur *erronea*, et quidem *vincibiliter*, si posset, *invincibiliter* si non posset errorem depellere. Conscientia erronea per se non est regula morum, quia non est conformis regulæ objectivæ et absolutæ; tamen invincibiliter erronea est regula, sed per *accidens* (134); et omnes causæ, superius enumeratæ (I, 250 etc.), erroris et ignorantiæ, sunt etiam principia conscientiæ erroneæ (Conf. III, 20).

2° Dicitur *certa*, quando judicium suum fert sine ulla formidine erroris; si ex diverso seu opposito dictamine ita suspensa et fluctuans efficeretur, ut in neutram par-

tem sese determinare posset, diceretur *dubia;* si aliquis inter duo extrema constitutus deberet unum aut alterum eligere, et tamen crederet peccare quæcumque eorum eligendo, laboraret conscientia *perplexa;* denique si conscientia ex motivo gravi, quamvis absolute fallibili, judicat in re morali hoc aut illud esse faciendum aut omittendum, erit *opinativa* seu probabilis (I, 164).

3° Conscientia *scrupulosa* est quæ animam torquet et turbat per quamdam dubitationem et trepidationem in agendo propter leves et incertas conjecturas. Si ex levibus rationibus et propter pravam inclinationem, judicaret illud esse licitum quod malum facillime apparet, aut putaret esse leviter inhonestum quod haberi solet pro graviter turpi, esset *lata.*

134. — Thesis III. *Sola conscientia recta et certa est per se regula morum.*

Probatur. Prima pars, jam constat ex dictis (88, 133). Conscientia enim in tantum est regula morum, in quantum est expressio regulæ objectivæ, seu legis in se spectatæ : etenim lex est ipsa regula proprie dicta, nempe primaria et absoluta. Atqui conscientia, quæ est vivens legis promulgatio in subjecto particulari, et ejusdem legis applicatio ad actiones particulares, rationem regulæ non sortitur nisi a lege qua informatur. Ergo, si non esset recta seu legem ipsam non referret, rationem regulæ absolute loquendo amitteret.

Probatur secunda pars. Voluntas secundum ipsam legem operari debet, quæ est regula primaria honestatis; atqui sola conscientia certa voluntati proponit ipsam legem : sola enim sine formidine erroris et deceptionis exhibet præcepta legis, seu viam honestatis indubie proponit voluntati. Ergo.

Aliter si conscientia non esset certa, legem ipsam non nisi ut incertam ostenderet, ac proinde ipsissimam voluntati proponere non valeret, quæ tunc injuria operaretur, veluti pro nihilo legem ducens, vel saltem ut aliquo modo soluta respectu legis. Ergo sola conscientia certa per se tuto regit actiones nostras, seu est regula morum.

135. — *Corollarium.* 1° Conscientia *invincibiliter erro-*

nea non est recta est, tamen subjective certa; inde per se non est regula, sed per accidens. Voluntas enim uuæ per se est cæca, et ductu intelligentiæ regi nata est, aliam regulam tunc habere nequit; ergo sufficit hæc ad reddendam voluntatem rectam, quæ quantum in se est, operatur secundum legem. Vincibiliter erronea non est certa neque recta; ergo non est regula. Debet ergo deponi hæc conscientia, seu mutari ejus judicium sive speculativum, sive practicum (II, 303).

2° Conscientia *practice*, nempe in ipso exercitio actionis, *dubia*, non est regula morum; quippe cum voluntati nullam directionem ostendat. Qui ergo operaretur cum conscientia practice dubia, se exponeret periculo peccandi, et revera peccaret; voluntas enim ut nihilum haberet regulam agendi. Conscientia *speculative* dubia, nempe quæ extra exercitium dubitat an hoc vel illud sit licitum necne, non est etiam *per se* regula : at fieri potest ut aliquis speculative dubitet, et tamen practice cum certitudine judicet se bene operari : v. g. miles qui speculative dubitat an bellum justum sit, potest tamen practice judicare sibi licitum esse militare in hoc bello. Conscientia tunc est *speculative dubia* et *simul practice certa :* hæc certitudo acquiritur ex quibusdam principiis practicis, quæ manifestant honestatem actionis, quæ fuerat dubii speculativi occasio.

3° Idem sentiendum de conscientia *probabili* ac de conscientia speculative dubia, quæ cæteroquin eodem recidit : conscientia enim vere probabilis fit certa de liceitate actus ex hoc generali principio : Ubi non est lex certa, nec obligatio; porro quamdiu remanet vera probabilitas, existentia legis dubia perstat.

SECUNDA PARS

ETHICA SPECIALIS

SEU JUS NATURÆ

136. — Hactenus consideravimus principia quæ actionem humanam aut eliciunt aut dirigunt ad honestatem generatim inspectam. Nunc altero et specialiori modo consideratur eadem actio humana, nimirum quatenus elicitur ab homine in determinata conditione spectato, quæ ordinem ad alia entia dicit. Itaque hæc pars ethicæ dici potest *specialis*, tum 1° quia actionem humanam non amplius inspicit in genere, sed in quadam specie determinata, tum 2° quia honestatem, non in genere, sed determinatam speciem honestatis rimatur. Potest etiam appellari *jus naturæ*, quia actus considerat prout dicunt ordinem ad alterum aliquo modo distinctum, sive realiter sive juris fictione, ab operante, seu important quamdam adæquationem cum termino assignato, quod pertinet ad rationem juris et justitiæ (60). Inde nihil vetat quin Ethica specialis Jus naturale etiam nominetur. Nunc divisio hujus partis inquirenda est :

Dum consideramus actionem humanam in subjecto a quo elicitur, statim deprehendimus ordinem dependentiæ omnium actionum humanarum respectu Dei. Subjectum enim quod operatur est creatura, et nihil habet quod non sit creatum, ac proinde omnes ejus operationes ordini a divina sapientia dictato subjectæ sunt : creatura ordinem accipit a creatore, qui est ipse ordo increatus et *absolutus*. Porro hæc dependentia essentialis et universalis manifeste importat obligationem faciendi quæ præscribuntur, et omittendi quæ vetantur a Deo, et sic efflorescit notio *officii;* officium enim nihil est aliud quam moralis obligatio, qua ordo prescriptus voluntatem ad aliquid faciendum vel omittendum adstringit.

Sed obligatio obsequendi ordinem impositum importat evidenter facultatem moralem inviolabilem faciendi ea omnia quæ ordini proposito conformia sunt : hæc moralis facultas aliquid faciendi est id quod nuncupatur *jus* (61, 2).

Itaque ex ipso officio in nobis spectato enascitur jus, etsi in ordine absoluto jus præcedat officium : jus enim in Deo, qui nullis officiis devincitur, producit officium in creaturis : et hæc officia jus ipsum in creaturis pariunt (*a*).

Jam vero jura et officia possunt considerari in homine qua homo est, nempe abstractione facta alicujus status socialis, cui foret addictus, et pars ethicæ naturalis, quæ circa hæc jura et officia versatur, *jus privatum* a nonnullis non inepte nuncupatur. Præterea jurium officiorumque hominis ordinem socialem spectantium complexus perpendi potest, qui constituit objectum *juris publici*. Tamen notandum est quod vocabula *juris publici* et *juris privati* paulum detorquentur a significatione communiter recepta apud legisperitos. Nam in sensu apud eos usurpato jus publicum est scientia quæ determinat jura et officia potestatis et communitatis perfectæ ad invicem, dum jus privatum ostendit jura privatorum, in eadem communitate. Sed hæc nostra jurisprudentia in jus privatum et jus publicum sensu explicato apte partitur ; et jus, prout est scientia, jura et officia, quæ sunt duo inter se correlativa, complectitur.

SECTIO PRIMA

Jus privatum seu individuale.

137. — Officiis erga Deum homo essentialiter devincitur; sed hæc officia secum alia important : in officio enim servandi ordinem a Deo impositum multa alia continentur, quæ etiam sunt fons aliquorum jurium. Cum in omnium rerum relationibus sit ordo a Deo impositus, fit ut officium colendi Deum involvat officium servandi hunc ordinem. At prædictus ordo exhibet, præter Deum

(*a*) Quid præcise nomine *juris* veniat hic distinctius explicare oportet.

ipsum, duplicem præsertim terminum, quem homo in suis operationibus spectare debet, nempe seipsum et cæteros homines.

Itaque triplex est genus officiorum quibus aut erga *Deum*, aut erga *nosmetipsos*, aut erga *alios homines* devincimur, et consequenter præsens caput in tres articulos partiemur. Per modum unius de obligationibus et juribus ex officiis enascentibus, eloquemur, utpote correlativis.

Agemus precipue de officiis *congenitis* seu *primitivis*, quæ nempe fundantur in essentialibus hominis relationibus; de officiis enim *derivatis* seu *adventitiis*, id est quæ oriuntur ex quibusdam relationibus superadditis, ope alicujus facti humani, non agemus nisi quoad fundamentum quod habent in aliquo officio naturali.

CAPUT I.

DE HOMINUM OFFICIIS ERGA DEUM.

138. — Summa officiorum hominis erga Deum nuncupatur *religio* (63). Vox religio venit a *religando* quia religio homines Deo ligat, cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio; inde officio religionis exhibetur Deo cultus debitus, tanquam primo omnium rerum principio : *excellentia* Dei increata et infinita est motivum propter quod Deus est colendus cultu perfecto; ejus *beneficia* sunt id per quod illa excellentia nobis applicatur, et apprehendi potest tanquam ad nos pertinens seu benevola nobis.

Officia religionis depromi possunt aut ex divina ac supernaturali revelatione, et tunc religio dicitur supernaturalis, aut ex ipsa ratione naturali, et tunc summa officiorum dicitur religio naturalis. Jamvero revelatio supernaturalis multas promulgat veritates, quæ mentibus nostris sunt etiam naturaliter insculptæ, quæque proinde pertinent ad religionem naturalem. Itaque methodi causa agemus 1° de religione generatim sumpta, deinde et per modum complementi, 2° de religione supernaturali speciatim inspecta.

ARTICULUS I.

De religione generatim inspecta.

139. Religionis alia pars est *theoretica* et alia *practica*. Prima pars Dei notitiam, ex qua summa ejus perfectio nobis innotescit, et ideo necessitatem obsequii actibus nostris Deo præstandi exhibet. Altera naturam hujus obsequii seu formam actuum nostrorum ad Deum relatorum ostendit, et appellatur cultus, qui dividitur in internum et externum, prout constat actibus internis tantum, vel etiam externis. Partem theoreticam dedimus in Theodicea : superest ergo ut quoad partem practicam declaremus necessariam relationem hominis ad illud objectum; et hæc necessaria relatio consistit primitus et præcipue in cognitione et amore. Itaque :

140. — Thesis I. *Officia omnium prima et cæteris omnibus anteponenda sunt officia religionis.*

Probatur. Officia quæ imponunt immediatum ordinem ad finem ultimum sunt prima et potissima : ordinatio enim ad finem ultimum est essentialis, cui obnoxia est quælibet ordinatio particularis, namque finis intermedius rationem medii habet respectu finis ultimi. Atqui officia religionis seu erga Deum spectant ad finem ultimum (99); nihil aliud enim sunt quam necessarius ordo hominis ad suum finem ultimum, qui est Deus. Ergo hæc officia sunt primaria, aliis cujusque generis anteponenda.

140 *bis*. — *Corollarium*. Itaque qui de honestate quadam naturali gloriantur, religione contempta, ipsam legem naturæ missam faciunt, et ideo stulti ac insipientes merito dicuntur. Idem etiam sentiendum de iis qui officia ordinis civilis et politici anteponunt officiis religionis.

141. — Thesis II. *Cognitio Dei inter primitiva et essentialia naturæ rationalis officia computari debet.*

Probatur. 1° Inter officia religionis primum et præcipuum est cognitio Dei, cum hoc officium sit condi-

tio cæterorum; atqui officia omnium prima sunt officia religionis. Ergo.

Probatur. 2° Natura rationalis suum finem prosequitur cognoscendo et diligendo, secus operatio non esset consentanea naturæ operantis, ac proinde contra ordinem prodiret. Ergo cognitio Dei, ultimi finis, jure naturæ præscribitur ut officium fundamentale.

142. — Thesis III. *Amor Dei, tanquam objecti summe boni, est jure naturæ præscriptus.*

Jam resultat ex dictis, sed

Probatur. Ratio naturalis facile probat Deum esse bonum vel absolute in se, vel relative quoad nos (II, 395), ideoque summe amabilem et fontem cujuscumque amabilitatis creatæ. Atqui ordo naturæ poscit ut voluntas se convertat ad illud bonum, quod a ratione proponitur ut maximum et fons primarius ad quem revocatur quælibet bonitas. Ergo amor Dei jure naturæ præscribitur.

De cultu.

143. — Cultus, qui juxta etymon, a verbo *colere* venit, generatim est *honor cum quadam submissione*. Itaque cultus divinus est actus quo reddimus summum quem Deo debemus honorem. Quando reverentiam et obsequium actibus internis Deo exhibemus, cultus dicitur internus; si cultus internus sensibilibus signis exprimitur, et manifestatur, cultus erit externus (139).

Actus in quibus consistit cultus internus, sunt præsertim adoratio et submissio animi, oratio, gratiarum actio et timor.

144. — Thesis. *Homo tenetur ad internum Dei cultum.*

Probatur. 1° Officia hominis erga Deum fundantur in infinita Dei excellentia et in dependentia essentiali hominis respectu Dei, ac cognitione hujusce dependentiæ essentialis. Atqui non modo corpus, sed ipsa anima humana cum omnibus facultatibus quibus ornatur, est creatura, ac proinde Deo creatori subjecta; imo et hanc dependentiam ignorare nequit, quia ex una parte lex dependentiæ clare manifestatur in be-

neficiis acceptis, et ex altera homo facultate cognoscendi a divino conditore fuit ornatus. Ergo anima in actibus suis debet se gerere ut nihil habens quod non sit ex Deo, seu colere Deum cultu interno, qui proprius est animæ.

2° Si analysim instituamus præcipuorum actuum quibus constat cultus internus, perspicue videbimus hominem ad talem cultum teneri. Etenim :

1° Deo evidenter debemus *adorationem*, seu cultus debet esse *latreuticus*, nempe perfectæ servitutis. Adorare nihil aliud est quam supremum Dei dominium in nos ex animo confiteri ipsique sese prorsus subjicere; sed ratio recta nullo negotio manifestat illud supremum dominium et nostram subjectionem; ergo ut voluntas ordinem rationis rectæ servet, debet Deum adorare.

2° Deum *orare debemus*, nam ratio naturalis etiam ostendit Deum esse summe potentem et beneficum, atque homines ejus auxilio semper et in omnibus indigere : præterea Deus non ineluctabili necessitate regit omnia (II, 437), sed ita res omnes disposuit ut orationes hominum sint causæ ex quibus aliqui effectus proveniant. Porro orare nihil est aliud quam indigentiam nostram et summam Deus beneficentiam profiteri. Ergo ratio naturalis necessitatem orationis ostendit; sic cultus erit *impetratorius*.

3° Deus etiam *timeri* debet ab hominibus. Timor determinatur a potestate puniendi sontes : sed Deum hac potestate castigandi homines instrui ratio naturalis etiam indubie ostendit, siquidem Deus est supremus legislator, qui suas leges sine sanctione relinquere nequit. Ergo timor Domini inter officia hominis necessario computatur, speciatim in statu naturæ lapsæ. Inde cultus esse debet, in præsenti statu, expiatorius aut satisfactorius, vel *propitiatorius*.

4° Deo *gratias agere* tenemur; est enim lex naturæ quæ jubet ut gratias benefactoribus referamus : ratio naturalis ingratum in benefactores animum improbat. Atqui Deus nobis dedit quidquid boni nobis inest. Ergo cultus debet esse *eucharisticus*.

145. — *Scholium*. Cum Deus creaturas omnes, etiam minimas, condiderit et de omnibus curam habeat (II,

449, 450), liquet cultum internum animi grati Deum non dedignare; suis enim creaturis finem ipse assignavit, et mediis idoneis ad illum finem assequendum easdem instruxit : quamobrem ordinatio operationum creaturæ rationalis, in mundo visibili nobilioris, non est aliquid coram Deo indifferens.

146. — THESIS II. *Jure naturæ Deo etiam debitus est cultus externus.*

Probatur. 1° Deus non tantum animæ, sed et corporis nostri creator est; sed creatura debet creatorem colere, et quidquid est creatum ad supremum conditorem referre. Ergo etiam corpus suo modo debet Deo creatori honorem reddere, suamque dependentiam recognoscere, quod est cultum externum reddere.

2° Homo constat animo et corpore, et utriusque in operando utitur ministerio : operatio externa est velut complementum et signum operationis internæ. Ergo ut homo, qua homo est, Deo præstet obsequium, interioribus actibus externos conjungere debet.

3° Homo ut Deo conjungatur et reverentiam ac honorem modo debito reddat, sensibilia manuductione indiget : 1° per sensibilium ad Deum cognoscendum ducimur (II, 32), « *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (1); » 2° homo ita pendet a sensibus ut aliquibus corporalibus, seu signis externis, tanquam incitamentis, indigeat. quæ pios in Deum affectus foveant ac suscitent : his signis mens hominis excitatur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur.

Ergo jure naturæ cultum externum Deo debemus.

147. — THESIS III. *Deo debitus est cultus etiam socialis, qui nempe ab hominibus societatem efformantibus celebretur.*

Nota. Cultus externus potest esse vel unius tantum, aut plurium, quatenus singulorum, vel hominum societatem efformantium, et quatenus est actus socialis : de isto nunc agitur.

Probatur. 1° Officium colendi Deum realiter, interius et exterius præstare debet homo, non quidem abstracte

(1) Ad Rom. c. 1.

consideratus, sed ille homo qui actus reales et physicos elicit. Atqui homo in concreto spectatus, seu officium reale præstans, non solitariam vitam degit, sed socialem; imo ejus actus èxterni, qui prædicto officio constanti et continuo obliganti respondent, nequeunt non esse aliquo modo sociales : etenim videri possunt ab aliis hominibus qui proinde vi alicujus instinctus plane naturalis, commoventur ad taliter agendum. Ergo homo præstare debet cultum publicum et socialem.

2° Homo ad cultum Dei referre debet omnes facultates quas a Deo accepit : omne enim donum Dei referre tenemur ad ejus gloriam. Atqui instinctus socialis in homine et beneficium societatis sunt dona Dei : Deus enim creando hominem, illum ordinavit ad statum socialem, et infudit in illo appetitum naturalem societatis; societas ipsa, ut postea videbimus, est opus Dei : ergo et ipse ordo socialis debet quibusdam actibus communibus ac publicis referri ad Deum.

3° Præterea, vi unionis socialis, quæ est facultas a Deo concessa, homines plus possunt quam si soli seorsim operarentur : ergo illud incrementum virium, seu actus sociales Deo referri debent, ut primo principio et ultimo fini cujusque vis creatæ.

148. — *Corollarium* I. Homines ergo vires collectivas conferre debent ad Deum glorificandum, orandum, etc.; et dum hæc adimplent officia, ad suum finem ultimum gradiuntur. Itaque quædam societas religiosa jure naturæ exstare debet inter homines, et hæc societas non est tantum hominum *cum Deo*, sed hominum *inter se*.

149. — *Corollarium*. II. Ex signis sensibilibus et publicis debitæ subjectionis et honoris hominum in Deum accuratius et magis idoneum est sacrificium, quia natura sua supremum Dei in res ómnes dominium, quoad vitam et mortem, eximie exprimit; et hic modus cultum Deo exhibendi, apud omnes gentes et quovis tempore fuit in publicum usum deductus. Ergo oblatio alicujus sacrificii ad jus naturale pertinere videtur (1), et cæteroquin est basis et fundamentum cujuscumque cultus publici apud qualisbet hominum nationes : unde videtur in natura ipsa fundamentum habere, saltem in hypothesi *status*

(1) Vide S. Thom., S. Th. 2a 2æ, q. 85, a. 1; Suarez, de Euch. disp. 73, s. 8.

naturæ lapsæ. Homo peccator humanaque societas rem substantialem sibi substituit, eamque velut sui vice totam Deo offert per realem destructionem vel æquivalentem exinanitionem, ut in ea et per eam agnitio supremi dominii Dei in res omnes, absoluta dependentia et reatus hominis lapsi exprimatur et adspectabilis reddatur.

ARTICULUS II.

De religione supernaturali.

150. — Religio sumi potest in sensu subjectivo et tunc est virtus moralis (63), aut in sensu objectivo, et tunc est complexus veritatum theoreticarum et practicarum de Deo et cultu divino (139). Quando ejusmodi veritates, non per naturalem rationem ex contemplatione mundi sese evolventem, deprehenduntur, sed a Deo, speciali ac supernaturali modo hominibus manifestantur, religio has veritates complectens dicitur supernaturalis.

Revelatio, juxta vim nominis, est rei tectæ seu occultæ manifestatio, *remotio veli*, ideoque revelationis nomen proprie convenit veritatibus ad quas homo naturali lumine assurgere nequit (I, 5). Si enim ageretur de veritatibus ordinis naturalis, quæ ambitum rationis humanæ non excedunt, non omnino indigeremus auxilio externo *ad removendum velum :* veritates ejusmodi pro nobis non sunt absolute et stricte loquendo velatæ.

Ordo naturalis hic presse sumitur, nempe quatenus distinguitur ab ordine, non modo supernaturali, sed et præternaturali, ideoque abstrahimus a distinctione inter ordinem præternaturalem et supernaturalem.

Hoc loco tamen animadvertere oportet in primis triplicem hunc ordinem, naturalem, præternaturalem et supernaturalem esse vel *logicum*, id est, secundum respectum ad mentem cogitantem intelligentemque, vel *ontologicum*, scilicet rebus ipsis bonisque in se simpliciterque spectatis consistentem. Ordo logicus seu idealis proprio nomine diceretur rationalis, præterrationalis vel superrationalis, dum appellationes mox adhibitæ ordinem ontologicum potius indicant.

Superius (II, 91) præternaturale et supernaturale in ordine ontologico et *quoad effectionem* tantum conside-

ravimus. In præsens directe agitur de rationali et superrationali.

Animadvertendum est iterum 1° ordinem logicum eumque rationalem absolvi veritatibus quæ insita rationis humanæ facultate inveniri possunt; 2° ordo præterrationalis hisce propositionibus constat quæ, licet non subsint inventioni rationis, semel nihilominus cœlitus manifestatæ, ideis claris, distinctis propriisque apprehenduntur. Denique 3° succedunt mysteria, a veritatibus hactenus laudatis distincta, quæ ordinem constituunt plane superrationalem : ea nequeunt non modo nativa facultate inveniri, verum etiam, licet divinitus patefacta, claris propriisque notionibus mente nostra apprehendi : nonnisi ideis analogis ad animum referuntur.

Attamen ut veritates naturales facilius, citius, clarius, certius ac plenius hominibus innotescant, earumdem revelatio est maxime utilis, ideoque Deus summe bonus et providens multas veritates hujus ordinis, per modum extra vires naturæ positum, nanifestavit.

Veritates naturales, hoc modo revelatæ, sunt veritates necessariæ, quæ nempe Deum et mores respiciunt; et quatenus revelatæ, sunt supernaturales ex parte *medii*, et naturales ex parte *objecti*. Veritas dicitur naturalis ex parte *objecti* simul et *medii*, quando non solum est cognoscibilis per species sensibiles, seu per medium naturale, sed etiam quando hoc modo cognita fuit, seu absque interventu revelationis.

Ergo revelatio supernaturalis duplicem ordinem veritatum complectitur, *supernaturales* nempe et *naturales :* revelatio veritatum secundi ordinis est duntaxat supernaturalis *quoad modum :* objectum enim per se non est supernaturale; illa quæ veritates prioris generis complectitur, est supernaturalis, non solum *quoad modum* manifestandi, sed etiam quoad rem manifestatam, seu quoad *objectum.*

151. — Thesis I. *Deus homini potest revelare veritates tum naturales tum supernaturales.*

Probatur. 1ª *pars.* Revelatio supernaturalis veritatum ordinis naturalis non repugnat neque ex parte objecti, neque ex parte Dei, neque ex parte hominis; atqui factum revelationis ad hæc tria dumtaxat ordinem dicit. Ergo est possibile.

1° *Objectum* revelari potest : agitur enim de veritatibus naturalibus, quas proinde homo alios homines docere potest; ergo et ipse Deus potest easdem nos docere.

2° *Deus* profecto has veritates cognoscit : est omnisciens; non eget mediis manifestandi, siquidem est omnipotens; non deest motivum revelandi has veritates, nam sunt homini necessariæ, qui hujusce revelationis expers, diu laborasset, et cum periculo errandi, ad illas propria industria inveniendas.

3° *Homo* hanc revelationem excipere potest : est enim facultate intelligendi præditus : discit aut inveniendo per se aut recipiendo ab aliis. Ergo nulla impossibilitas ut veritates naturales Deus revelet.

Probatur 2ª *pars* seu possibilitas revelationis veritatum supernaturalium, consimili argumento. 1° Dantur veritates supernaturales : Deus certo multa cognoscit ad quæ homo, utpote intelligentia finita præditus, se attollere nequit proprio conatu. Ejusmodi veritates, non secus ac naturales, sunt sermone effabiles, siquidem ipse homo profari potest etiam veritates quas non intelligit. Ergo non deest objectum aptum.

2° Deus nulla ignorantia et nulla impotentia laborat, ideoque cognoscit et habet in promptu media manifestandi. *Motivum* Deo dignum etiam non deest : gloria Dei, cujus infinita sapientia magis fulget in ordine externo, et major perfectio hominis, cujus intelligentia superius evehitur, et voluntas ad ferventius amandum excitatur ex hac supernaturalium manifestatione.

3° Ex parte hominis revelationem excipientis nulla etiam deprehenditur impossibilitas. Homo enim est capax recipiendi actionem Dei revelantis : quadamtenus cognoscere potest supernaturalia, quando ei proponuntur.

152. — *Scholium.* Si speciali modo *mysteria* consideremus, statim videmus hominem posse illorum excipere revelationem. Etsi mysterium dicatur et sit pro nobis *res abscondita*, sive quoad existentiam sive quoad intimam rationem, tamen dum revelatur, non remanet sub omni respectu absconditum. Homo conceptibus analogis intelligit quid sit veritas illa revelata, licet rationem intrinsecam hujus veritatis ignoret. Conceptum ergo proprium, ut opponitur analogo, non habet, licet

habeat verum realemque conceptum. Ergo mysterium est materia apta ad revelationem.

Homo non raro multa cognoscit etiam ordinis naturalis quorum rationem intimam non perspicit, imo nec suspicatur. Itaque Deus potest mysteria homini revelare.

153. — THESIS II. *Revelatio veritatum supernaturalium fuit absolute necessaria homini semel ad supernaturalem ordinem evecto.*

Probatur. Homo debet operationes elicere cohærentes statui in quo est : si ad aliquem statum evectus foret in quo operari non valeret, jam ad illum non attolleretur ut homo, nempe ut ens vita talis generis ornatum, cum status enim vitæ sit status operationum vitalium. Atqui sine revelatione supernaturali impossibile est ut homo actus supernaturales eliciat. Etenim voluntas nequit appetere bona quæ intellectus non cognosceret, ac proinde in ordine illorum bonorum nullam elicere valeret actionem humanam. Ergo cum intellectus naturaliter hæc bona vitæ supernaturalis non cognoscit, necesse fuit, ad hoc ut homo in tali statu vitæ operationes vitales eliciat, quod supernaturalia illi revelentur.

154. — THESIS III. *Revelatio veritatum ordinis naturalis fuisset moraliter necessaria homini, etiam non evecto ad statum supernaturalem.*

Nota. 1° Necessitas est duplex : *physica* scilicet et *moralis* prout fundatur in impotentia physica vel morali. Impotentia physica ea est qua homo defectu virtutis aut principii aut conditionis prærequisitæ ad talem actum non potest agere : v. gr. cæcus non potest videre colores. Impotentia *moralis* ea est qua homo physice capax alicujus actus, præpeditur extrinseco impedimento ne fiat id circa quod dicitur impotens. Itaque quando potentia cognitiva est moraliter irreductibilis ad actum propter difficultates, intellectus laborat impotentia morali, v. g. : aliquis homo non potest moraliter adipisci omnes scientias ordinis naturalis, etsi physice sit capax cognoscendi quamcumque veritatem earumdem.

Nota. 2° Agitur tantum de veritatibus naturalibus quæ Deum respiciunt et mores, quæque proinde sunt neces-

sariæ omnibus omnino hominibus, ad ordinationem vitæ, intuitu finis ultimi.

Probatur. 1° Homo, proprio nisu, ad illarum veritatum cognitionem distinctam et certam devenire nequit 1° sine exculta, imo et acutissima intelligentia et simul 2° sine magno et diuturno labore : agitur de cognitione distincta et certa sublimiorum veritatum ordinis naturalis, nempe de cognitione sufficiente ad vitam regendam moresque informandos. Porro conditiones enumeratæ jam requiruntur ad veritatum superiorum cujuscumque scientiæ humanæ adeptionem; a fortiori quando agitur de sublimioribus veritatibus totius ordinis naturalis.

Atqui 1° paucissimi reperiuntur homines ad speculandum apti, et ex illis multi cura rei familiaris, instabilitate juventutis, passionibus impediuntur; non pauci pigritia laborant, etc.; 2° si aliqui hisce impedimentis vacarent, ad illas cognitiones nonnisi post longum tempus devenirent, et forsan cum multis erroribus, qui investigationibus solius rationis admisceri solent, propter nativam debilitatem intelligentiæ et lusum imaginationis. Ergo homines plerique, etiam collective sumpti, impotentia morali laborant circa cognitionem laudatarum veritatum, ideoque revelatio supernaturalis est moraliter necessaria.

Prob. 2° Ante revelationem christianam, totum fere genus humanum in omnem errorem contra rectam rationem, et in turpissimam pravitatem contra ethicæ naturalis præcepta prolapsum est : seriem errorum texere nimis longum foret, et sufficit ut in memoriam revocemus errores turpissimos omnium fere populorum circa Dei ipsius naturam, v. g., pantheismum polytheismum, fatalismum, etc.

Ad veritates practicas quod attinet, historici, dum mores populorum referunt, sufficienter probant quantum isti mores distabant a præceptis maxime essentialibus ipsius legis naturæ. Hoc constat etiam ex philosophis ethnicis, quorum doctrinæ speculativæ et morales inter se perpetuo collidunt; imo illi philosophi ita cæcutiebant ut in suis scriptis ad rectam rationem et legem naturæ continuo offenderent, ut videre est in historia philosophiæ. Ergo ille constans status

generis humani primævam revelationem plus minusve obliti etiam ostendit cum plena evidentia necessitatem moralem revelationis supernaturalis, etiam quoad veritates naturales.

155. — *Scholium.* Revelatio est simpliciter, seu *physice*, necessaria ad cognitionem veritatum entitative supernaturalium, ut per se patet; veritates enim illæ in tantum dicuntur supernaturales in quantum nullum datur medium naturale ad illas assequendas. Verum exinde non potest erui, ut innuere videntur quidam scriptores incauti, quod manifestatio supernaturalis illarum veritatum sit generi humano physice necessaria; id enim importaret ex parte hominis absolutam necessitatem cognoscendi has veritates; hæc enim manifestatio est factum benevolentiæ Dei, supra condignum elargientis. Sed ex facto revelationis supernaturalis exsurgit quædam necessitas, non ex parte Dei revelantis, sed ex parte hominis; inde.

156. — THESIS IV. ***Homo officio adstringitur amplectendæ revelationis, quæ facta sit, et eam inquirendi, si nondum agnoverit*** (1).

Probatur 1ª *pars.* Deo loquenti et jubenti credere et obedire certo tenemur, et quidem jure naturæ : Deus enim est veracissimus et infallibilis, ideoque intellectum nostrum ei subjicere debemus : est supremus Dominus, ac proinde voluntatem nostram ipsius mandatis subjicere tenemur. Atqui revelare idem est ac veritates a nobis credendas proponere : manifestat enim Deus aliquod verum ut mente, quantum possumus, illud capiamus, et ut voluntate et omnibus viribus mandatum revelatum, seu exterius promulgatum, exsequamur. Ergo revelationem amplecti strictissimo officio adstringimur : indifferentiæ enim circa revelationem divinam professio, idem proinde dicit ac plenæ independentiæ circa Deum jactatio.

Probatur 2ª *pars.* Nempe homo officio adstringitur *revelationem factam inquirendi*, si nondum eam agnoverit. Quando Deus revelat hominibus, proponit regulam credendi; itaque revelationis factæ nullam curam

(1) Syll. Prop. III, IV, XV, XVI.

habere idem est ac spernere regulam a Deo impositam, seu Deum ipsum contemnere. In hac enim hypothesi, Deus hominem alloqueretur, ei viam salutis ostendere vellet, et homo Deo loquenti aures præbere detrectaret, viamque salutis divinitus ostensam sperneret. Ergo homo tenetur investigare an revelatio sit facta, ut eam amplectatur.

Scholium. Vera religio revelata 1° non potest esse nisi *una* : Deus, summa veritas, nequit opposita ac pugnantia revelare, nec revelat nisi ut homo ad suum finem vere ac recte religetur. 2° Debet esse *perpetua*, ut constat ex indole veritatis. 3° Debet esse *immutabilis quoad essentiam* : veritas proprie dicta non potest mutari. Tamen nihil impedit quominus veritates religiosæ obscurius in una revelatione et distinctius in sequenti manifestentur, neque ut ritibus imperfectioribus perfectiores sufficiantur. Hanc ergo revelatam religionem, quæ est una, perpetua et immutabilis, homo amplecti tenetur.

157. — THESIS V. *Tamen ut homo officio amplectendi revelationem adstringatur, necesse est ut certo sciat illam esse divinam.*

Nota. Agitur de aliqua revelatione quæ ut divinitus facta proponitur, seu de selectu religionis vere divinitusque revelatæ, inter illas plurimas quæ ut divinas sese offerunt.

Probatur. Homo ad credendum rationabiliter adduci nequit nisi per judicium certum de credibilitate objecti : judicium enim incertum non esset sufficiens ad credendum fide certa, siquidem tunc daretur actus humanus sine motivo sufficiente (1), et sic homo non se regeret ad rationis normam. Sed judicium de credibilitate objecti, nempe de existentia divinæ revelationis est id quo humana voluntas inducitur ad credendum fide divina, quæ per se est certissima, ac proinde ad se subjiciendum omnibus præceptis revelatis : fides enim divina fundatur in auctoritate Dei revelantis; ideoque ante assensum fidei christianæ scire debemus Deum revera hominibus locutum fuisse. Judicium igitur de hoc facto

(1) Vide Suarez, de fide, disp. VI, sect. IV.

est motivum quo determinamur ad credendum. Ergo ut homo rationabiliter se subjiciat divinæ revelationi debet habere certitudinem in evidentia objectiva ipsius facti revelationis fundatam.

158. — *Scholium.* Agitur de certitudine acquisita, non per *evidentiam veritatis*, ut dici solet, verum per *evidentiam credibilitatis*. Aliquid est *evidenter verum* quod vel in se vel in suis principiis videtur; *evidenter autem credibile* est id quod non videtur nec in se nec in suis principiis; dicitur enim evidens evidentia extrinseca (I, 247); habet tamen tot et tam gravia testimonia ut quilibet vir sapiens merito id credere debeat. Certitudinem divinæ revelationis itaque assequimur per argumenta non intrinseca, sed extrinseca, siquidem agitur de *facto*, quod nonnisi per testimonium probari potest.

159. — Thesis VI. *Inter alia moativ credibilitatis, miracula et prophetiæ pariunt omnimodam evidentiam credibilitatis de divina reveolatine quam confirmant.*

Probatur. Revelatio est certo divina, si præ se fert manifestam et minime ambiguam Dei subscriptionem, ac veluti sigillum authenticum; atqui miraculum et prophetia, in confirmationem revelationis quæ ut divina proponitur facta, sunt ejusmodi sigillum divinum seu manifesta et minime ambigua confirmatio divina. Ergo.

Major non eget probatione : edictum enim alicujus principis dicitur authenticum, quando vero ac non simulato principis sigillo confirmatur; documentum hoc signo munitum plenam fidem facit.

Probatur min. Miraculum, est signum omnipotentiæ divinæ, et prophetia evidens manifestatio omniscientiæ Dei. Primum constat ex antea probatis (II, 94); secundum nullo negotio probari potest. Etenim ex una parte agitur de prophetia modo certo et affirmativo facta, et ex altera de re quæ in causis naturalibus præsciri nequit ante eventum : itaque nec in se nec in suis causis naturaliter videri potest objectum prophetiæ. Ergo ad illa vaticinia requiritur scientia vere supernaturalis seu plane divina. Atqui ex hypothesi miracula et prophetiæ fiunt in confirmationem revelationis quæ ut divina proponitur, puta de christiana et mosaica. Ergo hæc revelatio habetur ut edictum sigillo ipsius Dei stabilitum.

Nemo enim sigillum illud potest simulare, quandoquidem ad id requireretur omnipotentia. Igitur revelatio miraculis et prophetiis confirmata, est evidenter credibilis.

160. — *Scholium.* Inter motiva credibilitatis, alia sunt extrinseca, ut miraculum et prophetia, alia intrinseca. Intrinseca per se evidentiam non pariunt, sed probabilitatem; si evidentiam proprie dictam gignere valerent, jam revelatio divina foret evidens *evidentia veritatis.* Doctrinæ enim perfectio, saltem quatenus detecta, *perpensa et veluti librata a ratione humana* arguere non valeret causam divinam ac supernaturalem : motivum enim illi assentiendi esset *judicium* de hac perfectione, quod subjacet regulis naturalibus : porro regulæ naturales nequeunt positive perfectionem divinam comperire ac metiri.

Motivum intrinsecum habemus in duplici prærogativa divinæ revelationis, quæ esse debet 1° verissima doctrina sine admixtione alicujus falsitatis, 2° sancta et pura, ut omnia quæ doceat sint honesta, et nihil approbet quod turpe sit, atque etiam ut omnia tradat quæ ad rectitudinem vitæ necessaria sunt et sufficiunt. Tamen hoc criterium intrinsecum divinæ revelationis, licet jam sufficiens sit ad repellendas omnes falsas religiones, quæ semper peccant aut contra aliquam veritatem ordinis naturalis plane certam aut contra aliqua præcepta sanæ ethicæ rationalis. est tamen insufficiens ad positive comprobandum factum divinæ revelationis.

CAPUT II.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEMETIPSUM.

161. — Homo a Deo naturam perfectibilem recepit, ideoque voluntas Dei est fons omnium officiorum, quæ ad hujus naturæ perfectionem se referunt. Sed hanc perfectibilitatem cognoscit homo, et media illam perficiendi, sicut et propriam ad id capacitatem, non ignorat; itaque erga semetipsum quibusdam officiis devincitur. Jam vero cum natura humana constet corpore et anima simul conjunctis, duplicis ordinis sunt officia hominis

erga seipsum : alia scilicet ad animam, alia ad corpus spectant.

ARTICULUS I.

De officiis hominis quoad animam.

162. — Perfectio animi intellectu potissimum et voluntate comprehenditur, quæ sunt facultates quarum anima sola est subjectum (II, 151). At facultates perficere nihil aliud est quam easdem ad proprium finem propriique boni adeptionem dirigere. Proprium bonum intellectus est verum, propriusque ejus finis est summæ veritatis perfecta adeptio; perfectio voluntatis in eo est ut juxta normam rationis bonum persequatur et malum aversetur; ejus finis est summi boni adeptio.

I. — De officiis ad intellectum spectantibus.

163. — 1° Intellectus perficitur dum in cognitione veritatis crescit, ideoque homo ad quamdam cognitionem veritatis tenetur, secus nullo officio devinciretur quoad intellectum. Sed, ut constat ex dictis, anima humana debet suum finem ultimum prosequi, indeque illum cognoscere, et media ad hunc adipiscendum necessaria non ignorare.

Quædam ergo sunt quorum cognitio ad omnes homines spectat, qualia habentur essentialia religionis et morum principia, quibus prælucentibus, ad finem ultimum pervenire possumus. Itaque stricto jure homines, generatim sumpti, ad eam scientiam adipiscendam tenentur, quæ vulgari industria obtineri potest, et sine qua homo debitum finem non cognosceret, nec actiones suas ad illum referre valeret.

2° Ad altiorem scientiam, quæ arduo labore acquiritur, non tenentur omnes homines, licet scientia sit bonum valde exoptandum et rationi convenientissimum. Eatenus homo ad hanc extensiorem cognitionem acquirendam obligaretur, quatenus, ratione status in quo forte versaretur, munere suo sine illa perfungi non posset; debet enim homo operam dare iis omnibus quæ ad suum munus rite obeundum sunt necessaria. Si enim a Deo vocatur ad illud munus, officio erga Deum vocantem ligatur; si illud munus ad bonum aliorum hominum

spectat, officio erga alios homines ligatur ille qui, voluntate propria aut voluntate aliorum hominum, suscepit illud ministerium.

II. De officiis ad voluntatem spectantibus.

164. — Finis adæquatus voluntatis est summum bonum, seu Deus sub ratione boni; quapropter ordo naturæ postulat ut voluntas se assidue dirigat promoveatque ad hujus boni adeptionem. Præterea idem ordo naturæ exquirit ut in rebus diligendis ordinem excellentiæ et dignitatis servemus : dictat enim recta ratio eumdem locum in nostra dilectione rebus deberi quem habent in nostra existimatione. Sed Deus certo est super omnia alia bona amabilis, quæ dignitate et excellentia infinite supereminet.

Ergo 1° minime dubium est quin jure naturæ voluntas Deum præ omnibus bonis debeat prosequi.

2° Manifestum est etiam voluntatem cætera bona appetere et consectari non posse, nisi quatenus aut juvant ad adeptionem supremi boni aut saltem nos ab illo summo bono non avocant. Si aliter operaretur voluntas, ipsum ordinem naturæ convellere niteretur, ideoque esset perversa, scilicet de naturali et recto tramite deflexa, et ab obligatoria agendi norma aversa.

3° Inde etiam colligitur quod si voluntas bonum aliquod de se juvans ad supremi boni adeptionem prosequeretur propter motivum aliquod aversivum ab illo summo bono, etiam perverse operaretur, utpote bonum finitum ac interibile pluris faciens quam bonum infinitum et essentiale : esset ergo actus voluntatis contra normam rectæ rationis.

Igitur voluntas debet 1° actiones suas ad ultimum finem assidue referre, 2° quidquid ab illo fine averteret repellere, 3° motiva recta, nempe non eversiva ordinis naturæ, sibi proponere in agendo, 4° concupiscentiæ ab bonum sensibile deordinate inclinanti frenum imponere, ideoque quodcumque nos misere defigeret in bono sensibili, illi subducere.

165. — Juxta Kantium, non alio motivo determinari deberet voluntas ad agendum nisi ex solo intuitu observantiæ legum : motivum enim voluntatis non esset *purum* nisi sit *ipsa legis observantia*, nulla habita ratione

alterius boni nobis ex actione obventuri : quamobrem Rationalistæ alii, asseclæ hujus Rectoris, communiter docent officia propter semetipsa esse præstanda, ita ut qui spe remunerationis aut metu pœnarum determinaretur ad operandum, ab ipsa honestate descisceret.

Doctrina illa 1° est falsa, quia actionem referre ad Dei gloriam est ratio perfectissima agendi; gloria Dei est certo motivum longe nobilius ipsa verecundia legis, qua talis ; hæc enim ratio agendi, ut ex dictis constat, ordini plene congruit, et intentioni divinæ respondet. Ergo honestas non postulat ut solo motivo Kantiano voluntas impellatur ad operandum.

2° Legibus, tum naturali tum positivæ, conjungitur sanctio. Ergo Deus ipse legislator, et omnes qui potestatem legiferam exercent, declarant metum pœnarum et spem præmiorum non esse motiva aliena ab honestate.

ARTICULUS II.

De officiis hominum quoad corpus.

166. — Corpus suo modo concurrit ad assecutionem finis homini præstituti, ideoque homo corporis vitam, integritatem valetudinemque tueri tenetur. Ex altera parte viribus corporis uti debet homo ut finem sibi a Deo in hac vita assignatum compleat. Inde generaliora hominis officia in ordine ad corpus sunt : illud *servare* eoque *uti*.

167. I. *De suicidio.* — Thesis I. ***Jure naturæ prohibitum est directe et propria voluntate se interficere.***

Probatur. Suicidium est injuria Deo facta, injustitia contra societatem, et magnum detrimentum illius qui violentas sibi manus infert. Ergo jure naturæ prohibetur.

Probatur antecedens. 1° *Suicidium est actus Deo injuriosus* ; nam 1° Deus solus est supremus Dominus vitæ et mortis : sed ille qui se propria voluntate interficit illud Dei dominium arripit; rem enim soli Deo subjectam absque auctoritate destruit. 2° Homo debet officia sua erga Deum præstare ; sed dum de vita sua quis disponit, jam Deo denegat officia quæ præstare tenetur. — Ergo suicidium manifesta injuria Deum lædit.

2° *Suicidium lædit jura societatis*, nam qui sibi mortem consciscit, societati membrum utile cum magno scandalo eripit : debet enim, aut operibus, aut saltem constantia animi, ad bonum societatis aliquid conferre; sed illi eripit hæc omnia, imo pessimum exemplum inducit. Ergo lædit jura societatis.

3° *Ei qui seipsum occidit maximum infert detrimentum;* nam existentia est magnum bonum, cum sit fundamentum bonorum præsentium et futurorum. 2° Dum lædit jura Dei, se obnoxium reddit vindictæ divinæ, quæ acerbissimis tormentis afficit sontes.

Ergo ex hoc triplici capite constat suicidium jure naturali prohiberi.

168. — *Corollarium.* Ergo etiam non licet membrorum et corporis integritati et valetudini attentare, nisi id necessarium sit ad corporis salutem, v. g., si medici membri rescissionem judicarent necessariam ad vitam servandam.

169. — *Scholium.* Diximus in thesi *directe et propria voluntate*, nam quando justa causa subest, potest quis aliquid facere vel committere, ex quo probabiliter vel etiam certo se periturum noscit. Tunc homo non se interficit, sed intuitu altioris boni, ad quod procurandum aliqua virtute movetur, sinit se interimi : sic, v. g., peste laborantibus deservire licet, cum evidenti periculo mortis, etc. Ratio est quia homini non est prohibitum ne vitam suam periculis unquam exponat.

170. — Thesis II. *Mortificatio christiana juri naturæ consonat.*

Probatur. Jus naturæ postulat ut corpus animo subjiciatur : rationis enim imperio se subigere debet homo (85). Atqui sensus corporei quandoque viam aperire conantur vitiis, ita ut animam in eorum servitutem redigere attentent : si libere ardescat cupiditas, ferveat imaginatio ac vires corporales visis et auditis inflammari sinantur, jam vitiorum turba copiosa animam ipsam invadet eamque veluti ditionis voluptatum faciet. Ergo homo saluti animæ providere potest, refrænando sensus, vires corporis debilitando, ita ut totum suum esse sub jugo rationis redigat.

2° In statu naturæ lapsæ seu vitæ præsentis viget

conflictus inter rationem et sensum (32) : est factum experientia cujuscumque hominis notum; atqui ordo naturæ postulat ut in illa pugna ratio semper victrix remaneat, quum sit facultas nobilior et regula aliarum. Ergo licitum est sensus et omnes vires corporales ita coercere, et si necesse est, debilitare, ut vocem rationis non præfocent, ordinem naturæ non pervertant, ac proinde a salutis æternæ adeptione nos non inhibeant.

171. — II. *De injusta aggressione repellenda.* Ex officio tuendi vitam sequitur jus repellendi vim quæ corpori vel etiam animo detrimentum inferre conaretur. Qua de causa hic quæritur utrum liceat ad propriæ vitæ conservationem, injustum aggressorem occidere, vel singulari certamine cum aliquo congredi.

172. — Thesis I. ***Licitum est occidere injustum invasorem ob defensionem vitæ suæ, integritatis membrorum et etiam pudicitiæ, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ.***

Probatur 1ª *pars,* scilicet *ad defensionem vitæ.* Homo a natura jus habet ad vitam et reliqua bona sive animi sive corporis; et illud jus se tuendi profecto non amittit propter pravitatem alterius. Sed ex hypothesi jus illud servare nequit nisi pravum aggressorem occidendo : itaque tunc jus innocentis invasi habetur in conflictu cum jure injusti invasoris : agitur pro utroque de discrimine vitæ.

Atqui jus illius qui non lædit alterum, præferendum est juri illius qui enormiter lædere attentat, seu proximo exitum molitur. Ergo cum utrumque jus servari nequeat, licebit præferre jus innocentis : certo hic melior est conditio pacifici possidentis.

Probatur 2ª *pars. Integritas membrorum* est aliquod bonum ad vitam servandam necessarium : ergo, sicut licet vitam tueri, ita etiam quæ sunt ad vitam utilem et operosam necessaria.

Probatur 3ª *pars.* Pro *defensione pudicitiæ* licitum est mulieri, adolescenti, etc., invasorem occidere. Nam 1° pudicitia pluris merito æstimatur quam integritas membrorum : 2° quia in hac re est periculum peccati seu amissionis boni vita corporali superioris.

173. — *Scholium.* Si tamen aliter invasus posset e manibus invasoris se eripere, certo non posset hunc occidere; nam ad id requiritur conflictus inter jura ad vitam servandam aut ad bona æquivalentia. Præterea vim vi repellens excederet *moderamen inculpatæ tutelæ*, si plus damni inferret aggressori quam necesse sit ad se tuendum. Jus personæ invasæ præsidii causa acquiritur, ac proinde ambitu tuitionis continetur.

174. — Thesis II. ***Jure naturæ illicita sunt privata certamina, quæ duella vocantur.***

Nota I. Agitur de certamine duorum aut plurium *privata causa* et *privata auctoritate* suscepto, designato antea genere congrediendi, cum periculo occisionis, mutilationis vel vulneris. Quæ auctoritate publica inter hostes fiunt, ut celebre illud Davidis cum Goliath, non sunt prohibita.

Nota II. Jure ecclesiastico vetatur duellum sub pœna excommunicationis.

Probatur. Homo in vitam nec suam nec aliorum jus ullum habet; atqui in illis certaminibus vita ipsa committitur : ergo omnia argumenta superius data (167) huc faciunt.

175. — *Scholium.* Duellum haudquaquam aptum est ad resarciendum illum honorem quem jactant pugnantes; nam hic honor est rèlatio ad alios homines, seu unice in eorum opinione residet. At vera existimatio hominum non determinatur per certamen singulare, sed per virtutes et honestatem, contra quam pugnat duellum. Itaque etiamsi duellum esset in se licitum, certo duellantes operam perderent, seu scopum, quem sibi proponebant, nullo modo attingerent.

CAPUT III.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA CÆTEROS HOMINES.

176. — Omnes homines eamdem naturam eumdemque finem habent : eadem enim natura in singulis hominibus veluti iterata seu multiplicata conspicitur, et ad eumdem finem, omnibus æque præstitutum, pro-

movemur. Ergo tum identitate naturæ, tum ratione ejusdem finis, quædam hominis erga cæteros homines officia sponte naturæ exsurgunt.

Sed præter hæc officia socialia quæ in ipsa identitate naturæ et communi fine fundantur, quædam ex propria hominis voluntate enasci possunt. Itaque agemus 1° de hominis erga alios officiis essentialibus, 2° de officiis ex pacto enascentibus seu de contractibus.

ARTICULUS I.

De officiis naturalibus hominis erga cæteros homines.

177. — Officia illa quibus erga cæteros homines communi humanitatis titulo obstringimur, spectant vel ipsum proximum, prout est quædam persona, vel res seu bona ad ejusdem proximi vitam servandam necessaria. Considerabimus ergo officia, non modo erga *personas*, sed etiam erga *res* ipsas, seu quoad jus proprietatis.

178. — I. *De officiis erga personas.*

THESIS. *Alios homines quisque sicut seipsum diligere jure naturæ tenetur.*

Nota. Particula *sicut* non idem sonat ac *quantum* : prima enim importat similitudinem, altera æqualitatem. Amor quo quis se diligit, est forma et radix amicitiæ ad alios; unde amor proximi et amor sui sunt similes; sed non necesse est ut sint æquales.

Probatur. Omnes homines eamdem naturam eumdemque finem habent; atqui 1° ex unitate specifica naturæ communis sequitur ut affectus cujuslibet hominis in alterum tendat, « sicut in unum sibi », ut ait S. Thomas; aliter ordo naturæ non servaretur; 2° quatenus in eumdem finem homines æque conspirant, ac proinde iisdem mediis egent, sequitur etiam quod, secundum ordinem naturæ, proximo eadem bona appetamus, quæ nobis volumus. Ergo debemus proximum diligere sicut nosmetipsos.

179. — Ex hac thesi duo sequuntur corollaria, quorum primum officia *negativa*, et alterum *positiva* infert.

1° *Officia negativa* hac brevi formula contrahuntur : *Nemini obesse*, vel « *Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris* ». Igitur neminem lædere debemus sive

in bonis vitæ, sanitatis et integritatis membrorum, sive in bonis fortunæ, sive tandem et præcipue in bonis animæ, quia secus non diligeremus alios sicut nosmetipsos, ut per se patet : unde non modo homicidium, mutilatio, sunt contra jus naturæ, sed etiam furtum, quod in bonis fortunæ, scandalum et mendacium, quæ in bonis animæ proximum lædunt; scandalum in vitia et peccata pellit, mendacium a veritate, quæ est maximum bonum, alios abducit, et in deceptionem eosdem adducit.

Ergo qui injuste proximum læsit, debet, saltem quoad potest, damnum illico resarcire, seu homines læsos in integrum restituere,

180. — 2° Officia positiva sic breviter enunciantur : *Omnibus prodesse* seu distinctius « *Quod tibi vis fieri, alteri facias* ». Ergo indigenti proximo, etiamsi nobis inimicus sit, pro facultate nostra, subvenire debemus; amor enim otiosus et nihil agens, nullus merito reputatur. Ex principio enim in thesi probato immediate sequitur quod alteri faciendum est, quod nobis factum merito velimus : porro non modo injuriam pati nolumus, verum etiam bonis tum corporeis tum spiritualibus augeri cupimus, quæ naturæ sunt consentanea; et hic nos urget, non titulus meriti specialis, sed titulus humanitatis, seu naturæ communis, quo proinde fruuntur inimici.

181. — II Sed officium proximo subveniendi potest spectare subsidium quod præstamus sine proprio incommodo, vel illud quod præstare non possumus sine proprio detrimento. Hoc auxilium certo nobilius est, tum quia est opus magis arduum, tum quia non semper lege naturæ est indictum.

182. — *De officiis erga res seu de jure proprietatis.* Proprietas significat id quod est proprium alicujus entis : etymologice venit a *prope*, ac ideo, juxta vim nominis, quamdam conjunctionem significat : qualitates alicui adjacentes dicuntur ejus proprietates, et illud cui adhærent, dicitur subjectum proprietatis.

Per quamdam analogiam, vox *proprietas* usurpatur ad designandum dominium, quod aliquis homo habet respectu bonorum corporeorum quæ ad sui utilitatem sibi adsciscit.

Hæc apprehensio bonorum et conjunctio fit maxime per actus intellectus et voluntatis; sola natura rationalis esse potest subjectum juris ac dominii : natura enim irrationalis nequit cognoscere quod suum est, et ideo non est capax relationis illius quæ constituit dominium. Quapropter proprietas est quædam conjunctio secundum cognitionem et voluntatem, seu rectum ordinem rationis : igitur proprietas pro dominio sumpta, est id quod *prope* est, non materialiter, sed adjacet alicui apprehendenti secundum rectam rationem et voluntatem.

Hoc modo sumpta, proprietas, seu potius jus proprietatis, definiri potest : *facultas perfecte disponendi de re aliqua ejusque utilitate.* Hinc proprietas distinguitur a *possessione,* quatenus possessio est quælibet actualis detentio rei, cum animo eam habendi tanquam propriam : quando possessio cum proprietate conjungitur est *legitima;* secus, nempe si nullo justo titulo fundatur, est *illegitima.*

Dominium dividi solet in dominium *jurisdictionis,* quod consistit in jure gubernandi subditos, et in dominium *proprietatis,* de quo solo hic agimus. Dominium proprietatis in genere est jus reale de re aliqua disponendi in commodum proprium, vel quoad substantiam rei, vel quoad emolumenta sola, vel quoad utrumque.

Hoc dominium dividitur in *plenum* et *non plenum.* Plenum est, quando quis potest perfecte disponere de re aliqua. Non plenum est, quando quis non potest de ea pro libito disponere, quia una pars pertinet ad unum et alia ad alium, ut, v. g., quando ad unum pertinet proprietas et ad alium ususfructus. Hoc ultimum dominium subdividitur in directum et utile : *directum* est, quando quis habet proprietatem sine usufructu; *utile,* quando habet usumfructum sine proprietate.

Et ex his divisionibus sequitur proprietatem proprie sumptam nihil aliud esse quam jus in re seu reale, per quod res alicui ita devincitur ut sine ipsius voluntate non possit fieri alterius; potest conjungi cum usufructu vel ab ipso separari. Ususfructus est jus utendi et fruendi rebus alienis, salva earumdem substantia, ideoque proprie constituitur in iis tantum rebus, quæ ipso usu non consumuntur, ideoque non datur usus-

fructus proprie dictus in rebus quæ solo usu consumuntur, ut sunt vinum, triticum, pecunia, etc., de quibus ususfructus a dominio non potest separari.

183. — THESIS I. *Jus proprietatis non oritur ex pacto neque ex legibus civilibus.*

Nota I. Non agitur de solo usu rerum, circa quem nemo ambigere potest, quin fundetur in natura, cum homo sit finis proximus et secundarius naturæ exterioris; sed agitur de dominio proprietatis stricte sumpto.

Nota II. Nostris temporibus socialistæ et communistæ quædam systemata nonnullorum philosophorum ethnicorum e cineribus excitarunt, aientes proprietatis jus non ab ipsa natura proficisci, sed ex furto aliquorum cum damno reliquorum oriri.

Probatur 1ª *pars.* 1° Jus proprietatis quovis tempore apud gentes excultas reperitur, et historia nullum affert monumentum ad communitatem bonorum probandam, nec ullum vestigium pacti, initio dispersionis familiarum, facti : atqui id quod reperitur semper et ubique quin ulla causa particulari explicari possit, a natura debet aliquo modo proficisci (I, 213). — Ergo jus proprietatis ex solo pacto humano non oritur.

2° Dominium est propter usum stabilem, seu est fundamentum necessarium hujusce stabilitatis; sed jure naturali homo habere potest usum stabilem : etenim 1° homo habet naturale dominium exteriorum rerum, quatenus est finis naturæ exterioris; res ergo externæ naturaliter subjacent homini; his de causis jam docet Arist. (1) possessionem rerum exteriorum esse homini naturalem. 2° Stabilitas possessionis non minus fundatur in ipso ordine naturæ : homo enim rebus naturæ, non in genere et in abstracto, sed talibus perpetuo eget, et ideo res determinatæ ad determinatum hominem modo stabili ordinem dicere possunt. Dominiumhominis in naturam quod in abstracto est in humanitate, ut sic, est modo determinato et concreto in singulis hominibus. Ergo et ipsum dominium non ex pacto unice oritur.

(1) *Polit. c.* 5.

Præterea jus proprietatis etiam fundatur in jure divino positivo.

Probatur 2ª *pars.* 1° Hæc sententia Montesquieu (1), Hobbesii et D. Thoullier (2), quam impugnamus in hac secunda parte propositionis, fundatur in falsa hypothesi de transitu hominum e statu sylvestri et segrege ad statum civilem. At hypothesis hæc jam ab historia convellitur. Ergo ruit conclusio inde petita.

2° Leges civiles nequeunt opponi legi naturali neque disponere de rebus quæ ad societatem non pertinent; atqui 1° si communitas bonorum, ut volunt adversarii, in lege naturæ fundaretur, jam lex civilis proprietatem privatis tribuens opponeretur juri naturæ, quæ oppositio est quid absolute vetitum; 2° si societas jure disponit de rebus naturæ exterioris, jam res illæ, ante ejusmodi legem, societati pertinebant, secus contra fas disponeret de rebus quæ illius dominio non subduntur; atqui, fatentibus ipsis adversariis, homines et familiæ bona externa jam possidebant antequam in societatem civilem convenirent. Ergo jus proprietatis, etiam in societate, non unice oritur ex legibus civilibus.

3° Id quod a sola libera hominis voluntate pendet, quin ullum in natura ipsa fundamentum habeat, non potest esse constans, universale, uniforme : siquidem esset uniformitas absoluta et constans, quæ tamen fortuita foret, utpote pendens ab actibus liberis innumerorum hominum, quod est manifeste impossibile. Atqui jus proprietatis reperitur constanter, uniformiter apud omnes gentes aliquo civili cultu præditas. Ergo jus proprietatis censendum est lex naturæ.

184. — *Corollarium.* Itaque jus acquirendi stabilem proprietatem quæ est necessaria ad existentiam servandam tuendamque, immediate oritur a natura; homo enim infirmitati, senectuti obnoxius, non modo præsenti tempore, sed etiam in futurum tempus, sibi prospicere debet, saltem parentes pro infantibus; præterea homo, vi naturæ, præditus est facultate perficiendi arte sua res naturales : ergo etiam jure naturæ easdem sibi vindicare potest.

(1) *L'Esprit des Lois*, t. 3, l. II, ch. 15. XXVI.

(2) *Le droit civil français selon l'ordre du Code*, l. II, t. 2, ch. 1.

185. — THESIS II. *Factum primigenium quod jus proprietatis determinat, est humanæ activitatis exercitium.*

Nota I. Natura ipsa non actu adscribit determinatam proprietatem tali homini, sed jus vagum stabili modo acquirendi dominium indicit; quamobrem requiritur factum particulare ad jus illud determinandum. Quæritur ergo in præsenti quodnam sit illud factum?

Nota II. Jurisconsulti romani dicunt factum illud esse occupationem, ita ut « res fiant primi occupantis »; œconomistæ recentiores, specificationem rei proprio labore peractam, quod eodem recidit: occupatio enim importat accommodationem objecti utilitati possidentis, seu specificationem factam per labores peractam, et vicissim industria circa rem, nemini pertinentem primitus, exercetur.

Probatur. Exercitium activitatis humanæ rebus concretis aliquam perfectionem novam tribuit vel tribuere potest, quæ proinde easdem res obsignat notat alis personæ humanæ : effectus enim dicit relationem realem ad suum effectorem. Atqui, in præsenti, effectus seu perfectio inducta, cum re aucta et perfecta per activitatem humanam est aliquid unum. Ergo illud totum speciali modo ordinem dicit ad talem hominem cum exclusione aliorum.

Quoad *majorem*, adnotandum est rem aliquam non vi naturæ subjacere labori talis hominis nisi ab aliis aut nullo modo sit occupata et perfecta, aut sit omnino derelicta. Nam si fuisset labore primi occupantis aucta et immutata, jam per novam occupationem primus possessor fructu sui sudoris injuste privaretur, qui absumeretur ab alio.

Ad *minorem* etiam advertendum est rem jam occupatam intuitu laboris, non quidem peracti sed peragendi, etiam obsignari quadamtenus nota ipsius occupantis. Jam res sic occupata ordinem potius dicit ad illum laborem suscipiendum quam ad activitatem cujuscumque alius hominis. Ergo humanæ activitatis exercitium est factum primigenium quod jus proprietatis determinat.

186. — *Scholium.* A sententia jurisconsultorum et œconomistarum non valde digredimur, quæ tamen sumpta prout sonat, et sine distinctione, non omni æquivocatione ac periculosa deductione caret.

187. — THESIS III. *Dominium hæreditate transmitti potest.*

Probatur 1°. Potest, et quidem jure naturæ, transmitti per *testamentum.* Legitimus enim possessor habet potestatem perfectam disponendi (182) ac proinde alienandi, destruendi et a fortiori donandi; atqui id quod possessor toto vitæ suæ cursu potest, poterit etiam in ipso mortis articulo : est enim idem dominus eademque voluntas donandi, quæ non fit diversa propter instantem mortem.

Licet donatio illa effectum non sortiatur nisi accedente morte, tamen id non officit validitati actus tribuendi; sicut enim ad donationem inter vivos, voluntas acceptantis sufficitur voluntati dantis, quæ potest statim deficere ab illa volitione, ita et voluntas legatarii sufficitur voluntati testatoris statim ac hæc voluntas deficit, aut potius immutabilis efficitur.

2° Filii etiam succedunt in bona parentum *ex intestato.* « Verum et naturale elementum organicum humani generis non tam est homo individuus quam potius familia, cujus pater est caput et provisor et rector. Ergo jus proprietatis sic patri a natura conceditur, ut eo non tam sibi quam integræ familiæ prospiciat. Cum igitur, patre pereunte, familia supersit, superest subjectum quod jure illo, determinatis rebus applicato, perfruitur » (1).

ARTICULUS II.

De officiis ex pacto enascentibus, seu de contractibus.

188. — Dominium importat, uti diximus, facultatem libere disponendi de re aliqua tanquam sua; ex altera parte officium diligendi proximum impellit ad facultates suas adhibendas in favorem aliorum seu ad mutuam bonorum permutationem; inde enascuntur *contractus.*

I. De natura et varietate contractuum.

Contractus definiri solet : *Duorum vel plurium in idem placitum consensus aliquo signo sensibili expressus.*

(1) P. Liberatore, Jus ind. c. 4.

Igitur ad rationem contractus quatuor requiruntur :

1° *Cognitio rei :* nam si objectum de quo pactionem conficiunt contractores, ignoraretur, nulla evidenter daretur circa illud actio voluntatis : voluntas enim in ignotum ferri nequit. Quamobrem error aut dolus in substantialibus, validitati contractus opponitur.

2° *Libertas* in contrahentibus, propter eamdem rationem : contractus enim est actus liberæ voluntatis. Itaque vis illata irritum reddit contractum violenter extortum.

3° *Mutuus consensus*, ut constat ex ipso conceptu contractus : hic mutuus consensus simultanee dari debet, nam conjungi voluntates necesse habetur; et debet exterius manifestari, ut comparti innotescere possit voluntas alterius.

4° *Materia possibilis, licita et propria*, quia si est impossibilis physice vel moraliter, præstari nequit; si est illicita, conventio de ipsa officium naturale, quo turpe prosequi prohibemur, exstingueret; unde nulla obligatio fingi potest ad ea procuranda; denique si non est propria, in potestate contrahentium non est, qui proinde de ipsa pacisci non valent.

189. — Contractus dividitur in *verum* et *quasi-contractum :* est *verus* quando datur ex utraque parte consensus formalis seu expressus; *quasi-contractus* est qui ex ficto consensu oritur, quem scilicet lex positiva fingit adesse, seu præsumit ex facto aliquo : v. g. : negotiorum gestio, administratio tutelæ, etc. sunt quasi-contractus.

Contractus proprie dicti partiuntur 1° in *unilaterales* et *bilaterales* seu *synallagmaticos*, prout unam contrahentium partem tantum vel utramque obligant.

2° In *onerosos* et *gratuitos*. Priores sunt quibus utrique parti onus imponitur præstandi aliquid; posteriores qui unam tantummodo partem gravant. Onerosus est vel *commutativus* vel *aleatorius*. Prior habetur quando datur æqualitas inter datum et acceptum. Posterior vero si æquivalens ponitur in damni vel lucri, ex una saltem parte, periculo, quod ab eventu incerto pendeat.

3° In *nominatos* et *innominatos*, prout proprium nomen in jure obtinent, vel secus; v. g. emptio, locatio sunt contractus nominati. In jure Romano sunt quatuor

contractus innominati : *do ut des; facio ut facias: do ut facias; facio ut des.*

4° In contractus *bonæ fidei* et *stricti juris.* Bonæ fidei hic appellantur contractus, quia non rigorosæ legi justitiæ subjiciuntur, sed benignam interpretationem ex æquo et bono admittunt, licet id verbis non sit expressum. Sunt *stricti juris* quando stricte interpretantur secundum verba expressa.

5° In *principalem* seu independentem, et *accessorium*, prout soli existere possunt, aut ab aliqua conventione pendent, aut eam supponunt.

6° In *realem* et *consensualem*, prout non perficitur nisi per traditionem rei de qua convenitur, aut solo consensu absolvitur quin rei traditionem requirat.

7° Denique in *solemnem* et *non solemnem*, prout requirit certam solemnitatem lege præscriptam, vel secus.

190. — In quolibet contractu tria discerni debent : 1° *substantialia*, quæ essentiam cujusque contractus constituunt; 2° *naturalia*, quæ tacite insunt contractui, etsi in ipso expressa non sint; 3° *adventitia*, quæ adesse, vel abesse possunt ab arbitrio contrahentium, nec ordinarie contractui insunt.

Itaque obligatio, quam parit quilibet contractus rite initus, se extendit, non modo ad ea quæ pacto exprimuntur, verum etiam ad omnia consectaria quæ pro conventionis natura, postulant æquitas et usus : contrahentes enim cum bona fide agere censentur, ac proinde velle reputantur non modo substantialia conventionis, sed etiam naturalia, seu id omne quod ab ea nasci solet.

II. De modo ac conditione contractui adjecta atque de extinctione obligationis ex contractu emergentis.

191. — *Modus* contractui adjici potest, addens aliquid in onus aut favorem unius partis; item *conditio* quæ contractum plerumque suspendit donec ipsa impleatur; hæc computantur inter adventitia contractus.

1° Modi contractibus præficiuntur tum ad *diem* obligationis implendæ determinandum, tum ad *pœnam* resilienti indicendam, etc.; servandi sunt, nisi aut substantiæ contractus repugnent, aut sint turpes vel impossibiles, quo casu pro non adjectis habentur.

2° Conditio est 1° *suspensiva* vel *resolutoria* : prior habetur quando ab ejus impletione pendet existentia obligationis; posterior, quando per ejus eventum resolvitur contractus;

2° Est *expressa* seu *facti*, quando in contractu verbis enuntiatur; *tacita* seu *legalis* aut *juris*, quando ex natura contractus vel ex dispositione legis adesse præsumitur;

3° Est *potestativa* vel *casualis*, prout pendet a libera voluntate contrahentis, vel secus;

4° Est etiam *honesta* vel *turpis*, *possibilis* vel *impossibilis*, etc...

192. — *Exstinguitur obligatio ex contractu emergens :*

1° *Executione rei* circa quam pactio versatur, id est per *solutionem*, seu per præstationem rei debitæ, executionemque facti promissi aut alias debiti : sic contrahentes oneri suscepto satisfaciunt.

2° *Condonatione*, quæ est actus quo creditor debitori suo debitum remittit; si contractus est bilateralis, utriusque partis consensus exquiritur : condonatio executioni æquivalet; quisque enim potest jus, quod acquisivit, in alteram partem contrahentem transferre, saltem in iis omnibus quæ ad bonum publicum non spectant, aut etiam quando non agitur de contractu natura sua indissolubili.

3° *Interitu rei debitæ :* quo casu ad pactum implendum adstringi nemo potest; nulla enim obligatio objectum impossibile respicere potest. Si tamen culpa debitoris res debita interiret, ad aliam partem compensandam teneretur. Item extingueretur obligatio si potentior vis executionem contractus impediret; nam res sic fieret impossibilis, ideoque haberetur ut perdita.

4° *Novatione* seu substitutione novi debiti veteri debito, quod sic exstinguitur : æquivalet novatio solutioni.

5° Si contractus sit cum conditione resolutiva, exstinguitur obligatio unius partis, quando hanc conditionem altera pars non implet : injustum enim foret ut una pars onere gravetur in favorem illius quæ datam violavit fidem.

III. De contractibus in specie.

193. — De contractibus in specie spectatis non disputamus, quia in eorum determinatione et obligandi formis jus positivum se ubique immiscet; ideo ad ethicam naturalem non adæquate pertinent. Ergo eorum pertractatio, non manca sed plena, theologiæ morali et juri, tum canonico tum civili, adjudicari debet.

Præcipui contractus onerosi sunt : *venditio et emptio, locatio et conductio, societas, cambium, census*, quibus adduntur nonnulli contractus, tum subsidiarii, *fidejussio, pignus* et *hypotheca*, tum aleatorii, *assecuratio, sponsio, loteria, ludus*. — Contractus gratuiti sunt : *promissio, donatio, commodatum* et *precarium, depositum* et *sequestrum, mandatum* et *gestio negotiorum*, denique *mutuum*.

Verum ad illum ultimum contractum quod attinet, quæstio non parvi momenti de usura lucratoria in præsenti tractatione prætermitti non debet : nam ad jus naturale præsertim pertinet.

Usuræ nomen venit ab *usu*, quatenus aliquis dat ad usum. In stricto sensu, usura locum habet in mutuo, et sumitur sive pro ipso contractu et objecto contractus, sive pro lucro quod ex tali contractu percipitur; et in hoc ultimo sensu hic usurpatur : est ergo lucrum directe et immediate ex mutuo proveniens.

Quod mutuo datur, vocatur *sors* sive *capitale;* quod ultra accipitur dicitur *usura*, seu fœnus vel *lucrum* ultra sortem.

De hac ergo usura quærendum est utrum vi juris naturalis sit illicita?

Ad hujus quæstionis enodationem prænotandum est :

1° Cuique rei inesse quamdam valoris quantitatem quæ vocatur *pretium* intrinsecum;

2° Commutationes quandoque fieri non posse inter res et res, sive quia res singulæ cum singulis comparandæ essent, quod difficile est, sive quia res quædam stabiles, v. g., domus, prædia asportari nequeunt, sive denique quia res mobiles, sine magno incommodo et periculo transferri alio non possent.

Inde introducta est pecunia, quæ est communis cæterarum mercium mensura, et definiri potest : merx ad cæterarum valorem designandum et transvehendum destinata;

3° Usum pecuniæ cum dominio confundi, nam pecunia est res fungibilis, quæ absumitur dum adhibetur.

194. — Thesis. *Usuræ lucratoriæ jure naturali sunt illicitæ.*

Nota. Jure divino positivo et ecclesiastico usura certo est prohibita.

Probatur. 1° Illicitus est jure naturæ modus acquirendi quo, si permissus foret, facile absorberentur egentium fortunæ; atqui per usuras lucratorias id fieret; sensim enim mutuatarii solvendo usuras omnia perderent et sic (1) per usuram aliquis non laborando fructum laboris egentium exsorberet. Ergo.

2° Naturalis æquitas non permittit ut, in commutatione, et in quolibet contractu bilaterali, plus detur quam accipitur, seu ut æqualitas non servetur : utraque enim pars ad tantumdem præstandum adstringitur. Atqui fœneratores, vi contractus mutui, aliquid exigunt præter sortem seu datum. Ergo destruunt æqualitatem alicujus contractus bilateralis : mutuum enim ad illud genus contractuum evidenter revocatur.

3° Ut licite possit exquiri lucrum aliquod, debet illud exigi ex aliqua re, quæ eo ipso, quod ob lucrum detur, non datur gratuito; atqui in mutuo nihil est pro quo lucrum exigi possit. 1° Nihil pro translatione dominii rei mutuatæ in mutuatarium : id compensatur per sortem redditam; neque 2° pro usu rei mutuatæ, nam usus pecuniæ cum dominio confunditur : unde usus nihil addit dominio. 3° Nihil pro commodo, quod ex mutuo mutuatarius habet : commodum enim stat in usu; neque 4° pro labore et actu mutuandi : hic enim labor nullius momenti est. Tandem 5° nihil exigi potest pro obligatione non repetendi pecuniam mutuatam, nisi post certum tempus, quia seclusis aut periculo sortis, aut lucro cessante, hæc obligatio non

(1) Schmalzgrueber, Jus. eccl. l. v, tit. 19, n. 9.

est pretio æstimabilis. — Ergo *titulo solius mutui* nihil exigi potest supra sortem.

195. — *Scholium* I. Quandoque pecunia habetur ut instrumentum quo commercium exercetur; et sic lucrum aliquod ex pecunia jure decerni potest, servato tamen dominio pecuniæ pro mutuante cui unice periret, si forte pereat : tunc contractus mutui in contractum societatis transit, in quo alter operam præstat alter pecuniam, cujus dominium in alteram partem non transfertur. Sed lucrum illud non venit ex eo quod pecunia per se censeretur fructifera : per se enim est sterilis, et fit fructifera solummodo per industriam possidentis, et injustum foret alterius industriæ sibi fructum usurpare (1). Tamen nonnulli cum tenuissima probabilitate censent pecuniam mutuo traditam divitibus, non autem pauperibus, esse fructiferam, quia non datur ut vivant divites, sed ut fiant ditiores : sed hæc ratio est figmentum, ut constat ex dictis.

196. — *Scholium* II. Tamen sunt plures tituli extrinseci ex quibus usuræ peti possunt : 1° *Damnum emergens*, nam nemo tenetur damnum gratis subire; 2° *lucrum cessans*, quia non ratione mutui, sed ratione alicujus extrinseci quod pretio æstimabile est, aliquid præter sortem exigitur; 3° *periculum sortis*, si est verum ac probabile, vel sors nonnisi magnis molestiis aut expensis sit repetenda : periculum est mutuo extrinsecum, et mutuans non tenetur illud subire gratis : 4° et probabilius *titulus civilis*, nempe statutum principis taxationem legalem determinantis. Ratio hujus tituli est quia societas, hodie præsertim, non potest subsistere quin multiplicentur contractus mutui ad commercium alendum absolute necessarii; porro, ad hanc multiplicitatem quæ in commune bonum maximopere conducit, impar est christiana charitas ; fœnus illud mutui est ergo præmium a lege ipsa cautum : tributum mutuatario imponitur a legislatore, emolumento quod ille ex mutuo trahit, consentaneum. Porro ex alto dominio quod princeps habet in bona subditorum, potest ad bonum publicum, vectigalia exigere præstanda sive sibi, sive illis qui operam navant reipublicæ; quare ergo non posset ex causa pariter publica jus concede-

(1) Liberatore, Jus ind. c. IV, a. 3, n. 76.

re alteri a suis subditis aliquid *ex mutuo* exigendi, non quidem *vi mutui*, sed *vi statuti* (1); 5° *conditio pœnalis*, seu pactum quo mutuatarius se ad aliquid dandum subjicit per modum pœnæ solvendum, si tempore præfixo sortem non reddat : mulcta non exigitur vi mutui, sed propter moram culpabilem mutuatarii.

SECTIO II.

JUS PUBLICUM SEU SOCIALE.

197. — Diximus antea (137) quid sit jus publicum, ut scientia quædam partialis sumptum. Hæc enim scientia versatur circa jura et officia potestatis publicæ et communitatis ad invicem. Porro recolendum est quod jura et officia, nempe ea omnia quæ actione sua homo præstare tenetur aut exigere ab aliis jure potest, ex relationibus pendent, quibus instruitur. Quando ejusmodi relationes hominum considerantur in ordine ad finem socialem, objectum constituunt juris publici (136) latius sumpti, seu prout opponitur juri privato seu individuali.

198. — Cum homo sit essentialiter ens sociale, fieri nequit ut non subjiciatur aliquibus officiis erga alios et non nanciscatur jura quædam exigendi ab aliis. Huic statui sociali singuli homines a natura ipsa ordinantur per aliquod principium subjectivum quod *instinctus sociabilitatis* appellari solet.

Jam vero hic instinctus, qui se dilatare, quantum potest, intendit, hominem ordinat 1° ad societatem domesticam et quidem primitus, ut videbimus; 2° ad societatem civilem quæ bona sponte naturæ appetenda affert; 3° ad societatem religiosam, qua homo juvatur ad finem ultimum obtinendum; denique 4° ad societatem internationalem, quam designabimus velut primis lineis; itaque in quatuor articulos præsens caput partiemur. Ex ipsa ordinatione subjectiva singulorum ad finem socialem, recte assurgimus ad definienda officia et jura socialia objective spectata.

(1) Vide Taparelli, Saggio teoret. di diritto nat. l. IV, c. 4, a. 4.

CAPUT I.

DE SOCIETATE DOMESTICA.

199. — Societas generatim sumpta potest definiri : *Junctio plurium in communem aliquem finem suis actibus conspirantium;* aut aliis verbis : *Unio entium intelligentia et libertate præditorum in prosecutionem alicujus*

Voci *jus* assignari solent variæ etymologiæ :

1° Jurisconsulti generatim docent jus a *jussu* seu *jubendo* derivari : in hoc sensu jus idem diceret ac lex.

2° Secunda derivatio est ut jus, sicut sentit Ulpianus, a justitia denominetur, aut juxta S. Isidorum, per syncopem a voce *justum* efformetur : tunc jus idem significaret ac justum et æquum, quod est objectum justitiæ.

3° Ab aliis (1) concipitur ut nomen primigenium quod est radix justitiæ : hæc nominis interpretatio superiori non opponitur, si conceptus reales consideremus, nam justitia a jure derivat in ratione objecti, ac subinde in genere causæ finalis, licet justitia sit causa efficiens sui objecti, seu juris;

4° In vernaculis linguis, jus (droit, diritto, drecho, etc.) a verbo latino *dirigere* venit, et exinde directionem seu ordinationem rectam primitus significare videtur. Equidem, ut constat ex dictis (136), jus fundatur in ipsamet rerum essentiali ordinatione ad finem ultimum : hæc enim ordinatio est fons omnium officiorum et jurium.

Illæ distinctæ derivationes, si probe intelligantur et applicentur, inter se nullam oppositionem important : jus enim invenitur in lege, lex in justi et æqui ambitu continetur, sicut æquum et justum in recta ordinatione ad finem, præcipuæ ultimum, reperitur.

Passim juris nomine venit etiam ipsa ars, sive scientia jurium, id est, legum; quemadmodum medicinæ nomen initio impositum est ad significandum medicamentum, deinde denominatione ab objecto ad habitum scientiæ translata, vox illa ad significandam ipsam artem quæ medicamenta hujusmodi applicare docet, accommodata est.

II. Quoad *rem* jus potest considerari tum in se, id est objective, seu materialiter, tum formaliter seu in aliquo subjecto, et quidem late vel stricte. « Jus, ait Suarez, interdum significat moralem facultatem, aliquando vero legem quæ est regula honeste operandi et in rebus quamdam æquitatem constituit, vel est ratio ipsius juris priori modo concepti » (2). In lato sensu ad jus subjectivum duo pertinere videntur : 1° ut illud quod alteri debetur, impleamus; 2° ut illud quod ab aliis debitum nobis est, exigere possimus : hinc jus, sic late acceptum, dispesci potest in obligationem seu *officium*, et *moralem potestatem* seu jus significatione strictiori et vulgari acceptum (108).

(1) Schmalzgrueber, Jus eccl. procem. n. 2.

(2) De leg. l. I, c. II.

boni communis concorditer conspirantium. Itaque quatuor sunt elementa societatis : 1° unitas finis seu boni communis; 2° concordia intelligentiarum ; 3° unio voluntatum, quæ in societate est pars formalis : 4° coordinatio mediorum.

Societas, quæ *persona moralis et juridica* appellari solet, est *perfecta* seu completa vel *imperfecta*, prout 1° in semetipsa habet media sufficientia ad suum finem obtinendum, necnon 2° hic finis totam activitatem humanam aliquo modo expostulat, vel secus. Media, ut per se patet, determinantur ex proportione et sufficientia quam habent ad finis assecutionem.

Societas domestica, cum civili et religiosa, sunt societates completæ, quia aliquo modo ad integram hominis personalitatem spectant. Homo enim, vi societatis domesticæ quamdam perennitatem habet et debitum complementum, in quantum persona individua est. Sed hæc societas completa quoddam totum est ex tribus simplicioribus societatibus, nimirum *conjugali*, *paterna*, *herili* constans : in hac enim societate reperiuntur relationes ab ipsa natura determinatæ 1° inter virum et uxorem, 2° inter parentes et liberos, 3° inter dominum et famulos.

§ I. De societate conjugali.

200. — Societas conjugalis ex duabus personis diversi sexus coalescit, quæ constanti quadam conjunctione integrum et completum principium efformant propagationis generis humani : *Erunt duo in carne una.* Hic actus quo vir et mulier junctione constante se associant, dicitur *matrimonium*, quod societatem conjugalem, ex hoc actu enatam, etiam significat.

Matrimonium, secundum etymon, derivatur a vocabulis *mater* et *munium* seu munus, quasi sit matris munus : et id quia ad prolem, cujus generandæ et educandæ causa institutum est matrimonium, magis concurrat mater quam pater; nam, ut dicitur in jure (cap. fin. de conv. inf.) : « Proles matri ante partum onerosa, in partu dolorosa, post partum laboriosa esse noscitur. » — Appellatur etiam *conjugium*, quia conjuges quasi *sub uno jugo* constituuntur, *connubium* et *nuptiæ* ab obnubendo, quia pudoris gratia puellæ faciem

suam velabant, exemplo Rebeccæ, dum viris tradebantur.

Definiri solet : *Viri ac mulieris legitima conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens* (1), in qua definitione indicantur 1° *essentia* matrimonii, quæ in vinculo consistit, 2° *proprietates*, quæ sunt unitas et indivisibilitas, 3° *conditiones* sub quibus solum iniri quit matrimonium : de his tribus successive agemus.

I. De essentia matrimonii.

201. — In matrimonio sex diversa inveniuntur : 1° mutuus consensus; 2° traditio corporum mutua ; 3° vinculum quoddam ex hoc consensu et traditione ortum; 4° obligatio mutua ad reddendum debitum, quæ nascitur ex ipso vinculo; 5° jus reciprocum ad hoc petendum, quod surgit ex obligatione hac; 6° denique usus et consummatio matrimonii. Consummatio enim matrimonii ad integritatem matrimonii quidem pertinet, non autem ad ejus substantiam : *Nuptias*, inquit Ulpianus, non *concubitus*, sed *consensus* facit : sed aliæ conditiones ad matrimonii adæquate spectati substantiam pertinent.

202. — Finem adæquatum matrimonii constituit 1° prolis susceptio ejusque complementum, nempe prolis susceptæ sustentatio et educatio; 2° mutuum auxilium conjugum, seu communis vitæ societas, officia quæ sibi mutuo conjuges præstant.

203. — Thesis I. *Nuptiæ honestæ sunt et naturæ hominis consentaneæ.*

Probatur. Illud est honestum 1° quod propagationi et conservationi generis humani necessarium est, atque 2° inclinationi hominibus innatæ, non modo sensibili, sed etiam rationali, respondet : propagatio generis humani est ordinatio divina, et Deus auctor naturæ inclinationem innatam ipse indidit, quam tamen ratio, dominatrix in homine, dirigere debet : itaque Deus vult medium ad illam propagationem necessarium, quod exinde est honestum. Atqui connubium 1° est necessarium propagationi et conservationi generis hu-

(1) Schmalzg., Jus eccl. tit. de sponsal. II, 223.

mani; 2° respondet conformationi sive physiologicæ sive morali utriusque sexus. Ergo est conforme ordinationi divinæ, seu est honestum.

204. — Thesis II. *Matrimonium requirit mutuam conjugum dilectionem.*

Probatur. Societas conjugalis in eo consistit quod ex duabus personis humanis, seu entibus moralibus, una veluti perficiatur; atqui id mutuam perfectamque amicitiam evidenter requirit; entia enim moralia, qua moralia sunt, nonnisi dilectione invicem attrahuntur, et actu voluntatis ita copulari possunt, ut una persona moralis, vi hujus vinculi, enascatur ex pluribus personis physicis. Ergo matrimonium evidenter requirit mutuam dilectionem.

205. — *Scholium* I. Hæc dilectio non tam venustate corporis quam animæ concieri debet; secus a ratione nullo modo penderet, sed instinctu quodam ingeneraretur.

Scholium II. Licet matrimonium sit honestum, tamen cælibatui, virtutis amore suscepto, non est anteponendum, præsertim post genus humanum satis propagatum. Etenim qui libertate circa privatæ vitæ dispositionem utitur ad virtutem eximio modo excolendam, qui suum corpus ita spiritui submittit ut vitam quasi angelicam ducat, qui commodis conjugii valedicit ut ab illius status oneribus non gravetur cum detrimento virtutis, est certo laudandus, siquidem nulla obligatio nubendi quemquam determinate ligat.

206. — Matrimonium novæ legis, inter fideles contractum, est vere et proprie *sacramentum* : Christus enim contractum naturalem quo constituitur societas conjugalis evexit ad statum et dignitatem sacramenti, ita ut contractus ille inseparabilis plane evadat ab ipso sacramento (1), et ei contractui dedit Christus virtutem sanctificandi contrahentes rite dispositos.

Itaque fideles baptizati matrimonium contrahere nequeunt quod verum sit ac validum in ratione contractus, et tamen rationem sacramenti non habeat (2).

(1) Syll. Prop. LXV, LXVI.

(2) Syll. Prop. LXXIII.

Ex dictis de indissolubili conjunctione contractus et sacramenti, exsurgit corollarium maximi momenti circa relationem matrimonii cum potestate politica :

Matrimonium, exceptis effectibus mere civilibus, potestati civili non subditur (1).

Etenim 1° sacramenta nullo modo subjiciuntur potestati civili, ut suo loco probabimus; ergo matrimonium huic potestati non est subjectum. 2° Societas civilis subaudit societatem domesticam, et a fortiori personalitatem humanam; subaudit etiam religionem, quæ essentialis est homini in quantum est homo, ideoque hæc omnia immutare nequit. Atqui matrimonium est fundamentum societatis domesticæ, quædam integratio personalitatis humanæ, ac denique res sacra. Ergo, etiam ut contractus mere naturalis, potestati civili subjici nequit.

II. De proprietatibus matrimonii.

207. — I. *De unitate.* Unitati matrimonii opponitur tum *polyandria*, seu simultanea conjunctio unius feminæ cum pluribus viris, tum *polygamia*, quæ, ut ex ipsis vocibus liquet, habetur dum vir plures uxores simul sibi jungit : tunc dicitur polygamia *simultanea;* nam quando vir alteram uxorem, priore mortua, ducit, id bigamia etiam appellari solet in jure, et hæc bigamia dicitur *successiva.*

208. — Thesis I. *Polyandria juri naturali adversatur.*

Prob. Polyandria fini adæquato matrimonii (202) adversatur, et tollit æqualitatem contractus. Ergo juri naturali repugnat. *Prob. antecedens.* 1° Præterquam quod prolis susceptionem plus minusve impedit, ut patet in meretricibus, sustentationi et educationi prolis susceptæ certo adversatur : patrem enim reddit incertum, ideoque officium educandæ prolis nulli incumberet; imo et pietatem natorum erga patrem solvit; 2° adversatur mutuo auxilio quod conjuges sibi præstare debent, et caput societatis conjugalis veluti invertit; 3° non remanet æqualitas inter datum et acceptum; ex parte viri jus integrum in corpus traditur, non ita ex parte mulieris. Ergo.

(1) Syll. Prop. LXVIII.

209. — Thesis II. *Polygamia, certo parum consonat juri naturali, etsi forsan ipsi non absolute repugnet.*

Probatur 1° *Polygamiam parum consonare*, nam 1° tollit æqualitatem contractus, sicut polyandria, et mutuum amorem relaxat; 2° cohabitationi pacificæ repugnat : plures uxores ob zelotypiam, sollicitudinem propriæ prolis, etc., nec inter se nec cum marito concorditer remanere possunt.

2° Dubium est an hæc uxorum pluralitas *jure naturali prohibita sit;* affirmant multi auctores, inter quos Bellarminus, Menochius, etc., propter rationes superius adductas. Negant alii, uti Cajetanus, Medina, Gonzalez, etc., hisce rationibus innixi : 1° complures gentes legali permissione polygamiam approbarunt; porro credibile non est multas gentes juris naturalis cognitione destitutas fuisse; 2° quia absolute non repugnat fini adæquato matrimonii, nempe prolis generationi ejusque educationi, et tranquillæ conjugum cohabitationi : quoad hunc finem caveri possunt odia, discordiæ, inquiunt hi auctores, plures uxores a se invicem, quoad habitationem separando.

« Tenenda videtur, ait Schmalzgrueber (1), sententia inter utramque media, et dicendum uxorum pluralitatem adversari quidem juri naturæ, non tamen ita ut eam excludat ipsa matrimonii natura et essentia, sed constitutio ejusdem in ipso mundi exordio facta a Deo, qua unam tantum uni conjunxit ».

210. — II. *De indissolubilitate.* Matrimonium *ex parte subjecti*, dividi potest in matrimonium inter infideles et inter christianos; *ex parte sui* in legitimum, ratum et consummatum : *legitimum* dicitur illud quod non est sacramentum, seu quod inter infideles contrahitur, *ratum* quod inter fideles initur, et est verum sacramentum, sed non consummatum, denique *consummatum* quod est ratum et corporaliter consummatum.

211. — Thesis I. *Indissolubilitatem matrimonii, valide contracti, petit notio societatis conjugalis.*

Nota. Non conveniunt auctores, dum quærunt a quo jure descendat indissolubilitas matrimonii : aliqui illam

(1) L. IV, pars 2, tit. 4, n. 20.

adscribunt soli juri naturali, alii soli juri divino positivo, quidam utrique : nonnulli distinguunt, et matrimonii consummati indissolubilitatem tribuunt juri naturali et divino positivo, rati autem refundunt in jus ecclesiasticum. Extra illas controversias quæstionem posuimus, præsertim cum hodie, post publicationem *Syllabi*, certum sit quod indissolubilitas vinculi matrimonialis fundetur in jure naturali.

Probatur 1°. Societas conjugalis ex sua natura exigit mutuum amorem conjugum, et tendit ad procreationem rectamque educationem prolis. Atqui ad hæc perpetuitas et indissolubilitas matrimonii plurimum confert; nam simplex cogitatio separationis possibilis et obventuræ, amorem, mutuam bonorum communicationem, etc., labefactaret. 2° Dissolutio separat etiam infantes ab uno vel altero parentum; porro natura ipsa ligat prolem parentibus. Ergo.

3° Præterea non remaneret æqualitas contractus : mulieris enim privilegio virginitatis orbatæ pars longe deterior foret ad novas nuptias ineundas. Ergo matrimonii indissolubilitas fundari videtur in jure naturæ.

212. — *Scholium.* Sub lege evangelica, quæ matrimonium evexit ad dignitatem sacramenti, unionem Christi cum Ecclesia significantis, connubia, saltem consummata, ex nulla causa rescindi possunt quoad vinculum : jure divino positivo sunt indissolubilia. Diximus *consummata*, nam docent canonistæ matrimonium ratum dispensatione Summi Pontificis ita dissolvi posse, ut deinde utrique conjugi aliud matrimonium inire liceat. Ratione enim *contractus*, non sunt omnino indissolubilia, ut patet ex matrimoniis infidelium; sed Pontifex potest attingere contractum, ideoque indirecte sacramentum : « Ratione sacramenti et significationis suæ non videntur prorsus indissolubilia : significant enim conjunctionem Christi per caritatem cum anima justa, quæ conjunctio solvi potest (1) ».

213. — Thesis II. *Attamen divortium imperfectum, seu quoad torum et cohabitationem, licitum esse potest.*

Nota. Divortium dividitur in perfectum et imperfectum, prout abrumpit aut ipsum vinculum aut solam legem cohabitationis manente vinculo.

(1) Schmalzgrueber, lib. IV, p. IV, tit. 19, n. 40.

Probatur. Etsi notio societatis conjugalis indissolubilitatem matrimonii petat, tamen id non necessario importat cohabitationem : cohabitatio enim habetur ut medium facilius exhibendi mutuam dilectionem et sibi invicem præstandi mutua officia. Atqui accidere potest 1° ut mutuus amor per hanc cohabitationem non modo defervescat, sed in apertum odium convertatur; quamobrem lex dilectionis mutuæ aliquam temporaneam conjugum separationem poscit, ut pristinus amor redintegretur; 2° mutua officia aliquando ab una parte læduntur, ut non modo altera pars nullam opem ex suo conjuge reportet, sed ipsi vitæ consulere non possit nisi per fugam. Ergo accidere possunt circumstantiæ in quibus licita erit separatio quoad torum et habitationem.

III. De conditionibus matrimonii.

214. — Ad matrimonium rite contrahendum requiritur ut personæ sint habiles ad illum contractum, seu ut fines matrimonii consequi et officia ex matrimonio enata præstare valeant. Itaque opus est :

1° Ut conjuges *ætatem* idoneam habeant, scilicet aptam corporis et mentis evolutionem respectu prolis suscipiendæ et educandæ. Quoad corporis evolutionem ad matrimonium contrahendum, requiritur pubertas; nam impuberes nequeunt tradere potestatem in proprium corpus, quæ traditio est objectum conjugii. Verumtamen lex naturæ matrimonia ejusmodi non irritat, quia consummatio non est de essentia matrimonii, et cæteroquin impuberes ætatem idoneam exspectare possunt ad jura matrimonialia exercenda et ad mutua officia præstanda. Præterea ad illam mutuam conjugum dilectionem (204), quæ est quasi fundamentum matrimonii, requiritur ut conjuges non nimia ætatis differentia inter se discrepent.

2° Iterum quoad corporis perfectionem, requiritur idoneitas ad finem primarium matrimonii attingendum, unde *impotentia* antecedens et perpetua invalidat contractum matrimonii, quia ad impossibile nemo se obligare potest (188, 4°).

3° Jus naturæ etiam inculcat *disparitatem* cultus graviter opponi matrimonio : si fidelis matrimonium contraheret cum infideli, se injiceret in periculum prævari-

cationis aut in impossibilitatem rite educandi prolem, præterquam quod hæc disparitas innumeris discordiis ansam præberet. Tamen hæc matrimonia, etsi jure naturæ sint illicita, nonnisi solo jure ecclesiastico sunt irrita.

4° *Consanguinitas* etiam jure naturæ matrimonio opponitur. Consanguinitas enim est quasi *sanguinis unitas*, quippe qui consanguinei sunt, ab eodem communi sanguine descendunt. Jam vero relationes et officia conjugum inter se cum officiis et relationibus parentum ad liberos, et vicissim, componi nequeunt, ideoque jure naturæ omnino vetantur conjugia inter parentes et liberos. Id enim etiam ostendit naturalis instinctus, non solum omnium gentium bene institutarum, sed etiam belluarum non paucarum, quæ ab ejusmodi conjunctione abhorrent, ut testantur Aristoteles (1) et Plinius (2).

Affinitas etiam graviter opponitur matrimonio contrahendo, præsertim in primo gradu lineæ rectæ, v. g. inter socerum et nurum, inter soceram et generum, vitricum et privignam, etc. Docet S. Thomas (3), cum multis aliis auctoribus, jure naturali hæc matrimonia non modo illicita, sed etiam irrita esse, quia inter illos affines eædem relationes habentur quibus ipsi consanguinei vinciuntur.

5° Ex dictis de polyandria constat *ligamen* esse impedimentum ad novum matrimonium ineundum; est enim vinculum quo unus conjux alteri sic alligatur, ut eo vinculo durante, cum nullo alio contrahere matrimonium possit : non posset tradere jus quod non habet in proprium corpus.

6° Denique matrimonium, vi suæ naturæ, exquirit ut *libere ineatur*, et cum *mutuo* conjugum *consensu*. Etenim est contractus, et quidem bilateralis, qui mutuum consensum contrahentium exquirit : unde huic contractui, sicut aliis omnibus, opponitur *vis*, seu violentia ad junctionem cogens. Inde *raptus*, seu violenta feminæ abductio, aut etiam maris, de loco in locum, matrimonii ineundi causa, matrimonium dirimit, quidem jure natu-

(1) L. IX, hist. anim., c. 47.

(2) Hist. nat., l. VIII, c. 42.

(3) In I Cor. 5, v. 1.

rali, si rapta vel raptus non consentit. Ita et *error* personæ, cum quis scilicet judicat personam quacum matrimonium contrahit, esse aliam quam sit a parte rei, v. g., esse Rachelem cum sit Lia, dirimit matrimonium : hic error tollit consensum jure naturali requisitum ad essentiam contractus matrimonialis. Adde quod omnia hæc conciliari nequeunt cum mutua dilectione, ut per se patet.

215. — Si de matrimonio jam inito loqueremur, ex ipsa natura matrimonii resultat :

1° Mutuam fidem lædi non posse tum factis, tum etiam affectu, quia hæc fides conjugalis est ipsum datum et acceptum in contractu indissolubili nuptiarum ;

2° Supremam potestatem generatim in viro residere ; in familia caput reperiri necesse est, quia unitas in principio uno fundari debet ; porro sensus communis, physiologia et psychologia ostendunt virum superiorem esse muliere : 1° structura corporis est validior, membra firmiora, etc., in homine ; 2° vires animi, ut prudentia, voluntatis constantia, etc., in viris excellentiori modo evolvuntur, ut ex facto liquet ; 3° apud omnes gentes, vir in familia mulieri præest. Verumtamen etsi unitas regiminis in societate domestica repeti debeat a viro, non inde sequitur virum imperio despotico potiri in mulierem : nam propter communem relationem ad liberos fit ut familiæ administratio ex communi consensu peragi debeat, ita ut vir ad se quodam modo rapiens jura matris in liberos, jura hæc quantum posset, destrueret.

§ II. De societate paterna.

216. — Ex societate conjugali oritur societas paternalis. Etenim 1° nativa imbecillitas prolis recens natæ operam et laborem parentum diu exquirit, sine quibus humanus fœtus interiret, cujus indigentia diuturnior est quam in aliis animantibus ; 2° contractus conjugalis non modo ad generandam, sed etiam ad educandam, seu ad conservandam, alendam, etc., prolem destinatur ; 3° Deus ipse in cor parentum indidit naturalem amorem pro liberis, seu quemdam stimulum naturæ ad subveniendum proli ; inde parentes qui officiorum naturæ erga liberos obliti fuerint, inhumani, omnis sensus

expertes, appellari solent. Societas illa definiri potest : *Conjunctio plurium personarum, quæ per ipsam naturam, educationis gratia, initur.*

In hac societate duo sunt consideranda : 1° relationes parentum ad liberos, quæ relationes juribus et officiis coalescunt; 2° relationes prolis ad parentes.

I. De potestate paterna et officiis parentum.

217. — I. *Finis societatis paternalis : 1° De iis quibus, generali naturæ obligatione, adstricti sunt parentes.* Imbecillitas prolis humanæ afficit corpus et vitam corporalem, animum animique facultates, quamobrem 1° parentes temporalem filiis curam exhibere tenentur tum ab ipsis corporale detrimentum avertendo, tum ad vitam necessaria suppeditando. Parentes enim qui hæc proli non præstarent, pejores feris evaderent, quæ fœtus suos nutriunt, et qua omni possunt ope ab extraneis insultationibus tuentur. 2° Ad animam quod attinet, parentes debent officia naturæ rationalis propria docere liberos, exemplo non minus quam exhortationibus. Illud munus aliis committere possunt; sed nemo potest hanc potestatem reluctantibus parentibus, sibi vindicare sine violenta læsione juris paterni. Itaque.

218. — Thesis. *Societas curare debet ut publica media rite educandi pueros non desint; sed educationem parentum voluntati legitimæ contrariam pro liberis imponere nequit.*

1am *Partem* probabimus dum recensebimus officia societatis.

Probatur 2a *pars.* I. Jure naturali parentes jus et officium habent educandi prolem. Ergo societas civilis, quæ sibi unice seu exclusive vindicaret educationem juventutis, jus et ordinem naturæ evidenter læderet.

Probatur. II Societas, quæ familiis constat, ac proinde jus paternum constitutum subaudit, nequit illud jus subvertere quin ordinem naturæ pervertat. Societas enim quæ essentialem societatis paternæ constitutionem destrueret, suimetipsius vitalia elementa pessumdaret, et violenter raperet jus *præexistens* et *prævalens* : civitas est pro familiis, non autem familiæ sunt pro civitate. Atqui societas quæ, reluctantibus parentibus, educa-

tionem legalem decernit pro juventute, jus paternum violat, et constitutionem familiæ pervertit : 1° jus paternum violat, ut per se patet, nam non agitur de casu abnormi quo parentes culpabiliter negligerent educationem prolis, ac proinde status supplere teneretur; 2° constitutionem familiæ immutat : liberi enim, vi familiæ, societati conjunguntur, siquidem vivunt sub patria potestate; sed dum societas eosdem arripit, ex facto affirmat illos non tam ad familiam pertinere quam ad statum; imo societatem immediate non constare familiis, sed hominibus ab omni alio vinculo subjectionis solutis, ex facto decerneret. Ergo id manifeste jura paterna lædit, societatem domesticam destruit, quæ sic legaliter non existeret.

219. — *Scholium.* Verumtamen societas modis decentibus, sed non violentis, curare debet ut parentes illud summum officium educandi prolem minime negligant. Præterea quum crescente paulatim liberorum ætate, parentum potestas minuatur, et libertatis naturalis jura in liberis veluti explicare sese atque exercere incipiant, fit ut directe et per se homo individuus societati conjungatur, jura et privilegia civis propria acquirat, ac proinde potestati civili immediate subjaceat.

220. — II. *Potestatis paternæ amplitudo* ex fine et ex origine metienda est. Natura enim hanc societatem proxime constituit, quæ proinde nec fine nec mediis necessariis ad finem obtinendum carere debet. Porro societas paternalis ejusque finis, qui in congrua educatione prolis cernitur, ex ipsa generatione fundamentaliter oritur; itaque *generatio* causa remota potestatis paternæ censeri potest; sed finis hujusce societatis et jus parentum regendi familiam, mensuram hujus potestatis determinant.

Potestas illa per quamdam analogiam cum potestate publica, censeri potest *inspectoria*, *rectoria* et *executoria* (1).

1° Parentes vigili oculo debent liberos observare, eorum consuetudines, familiaritates explorare, pericula arcere, etc.

2° Possunt actiones prolis determinare, eam docere debent officia hominis erga Deum, erga semetipsum et

(1) Zallinger, Jus sociale, l. II, c. 4.

erga proximum, seu viam honestatis liberis ostendere tenentur.

3° Potestate executoria et speciatim coactiva non orbantur parentes, quibus facultatem castigandi natura ipsa concedit, ut ad obediendum filios adigant et pervicacem eorum voluntatem, si illa adsit, vi seu adhibitis virgis, frangant : educandi jus has facultates secum trahit, saltem in tenera ætate. Sed potestas castigandi jus vitæ et necis minime continet, quod soli Deo competit, et potestati publicæ, quæ illud a Deo accepit. Apud cives romanos tanta erat potestas patria ut lex XII Tab. sic præciperet : « In liberos suprema patrum auctoritas esto : venumdare, occidere liceto, » quod a voce naturæ abhorret.

II. De officiis liberorum.

221. — Liberorum in parentes, a quibus receperunt existentiam, nutrimentum et disciplinam, officia etiam dictat natura. Hæc officia ad sequentia capita revocari possunt, nempe ad amorem, reverentiam et obsequium, denique ad obtemperandi studium.

1° Filii parentibus *amorem* debent : exigit enim natura ut eos sincere diligamus a quibus majoris momenti bona recepimus; sed bonis præstantissimis filios, quos genuerunt et impensis curis aluerunt, cumulaverunt parentes. Hic amor unice cedere debet illi quem Deo debemus, cui existentiam acceptam longe melius referre debemus. Ex hac lege amoris ejusque fundamento, sequitur liberos parentibus, si egeant, subvenire teneri, tam in spiritualibus quam in corporalibus.

2° Filii parentibus *reverentiam* debent, tum interiorem, quæ in quodam venerabundo animi timore consistit, tum exteriorem qua interior signis sensibilibus manifestatur; parentes enim superiores sunt jure naturæ filiis.

3° *Obedientiam* debent in iis omnibus in quibus subsunt, quia parentes jus imperandi habent, cui necessario respondet in liberis officium obediendi. Porro filii subsunt 1° in iis omnibus quæ ad bonos mores et salutem spectant, 2° in iis quæ se referunt ad regimen domesticum, ad pacem, bona, decus familiæ, etc. Sed evidenter non subsunt in iis quæ præceptis divinis adver-

santur. Itaque in electione status clericalis vel religionis, liberi certo non subsunt.

Ad status vitæ electionem generatim quod attinet, parentum voluntati liberi non subsunt, quia hæc electio ad educationem aut familiam non pertinet, sed personam ipsam eligentis et vitam ab eo in posterum ducendam respicit; etiamsi ageretur de aliqua arte vel professione, (utique non mala nec indecora etiam respective), parentes nequeunt cogere liberos : quando enim naturali quodam impetu quis in talem artem propendet, hæc ars illi multo melius succedet quam invisa; æquum est tamen ut a consiliis et cohortationibus parentum non sine gravi causa se subducant filii.

§ III. De societate herili.

222. — Societas herilis originem habet ex institutione humana, non jussu naturæ, saltem proxime. Est societas *pactitia* quæ, communis utilitatis gratia, initur inter dominum et famulum; est contractus innominatus : *do ut facias*, ex parte heri, et *facio ut des*, ex parte famuli. Post multiplicationem generis humani et juris proprietatis acquisitionem exorta est inæqualitas conditionum; siquidem diversitas in viribus corporis, in industria, in sagacitate animi, parcimonia, etc., hanc inæqualitatem cito produxit; hinc nonnulli divites facti sunt, et alii egentes, qui subsidio divitum eguerunt, et operam eis oblocarunt ut ad vitam necessaria ab eis reciperent.

Ergo *remote* originem quodammodo habet ex ipsa natura, a qua repeti debet diversitas ingenii, prudentiæ, virium corporalium.

Est societas *inæqualis* qua dominus et famulus inæquali prorsus jure sociantur : servus enim est domino obnoxius, et ad hujus utilitatem spectat. Verumtamen emolumentum communis familiæ, præter stipendium, accipit servus. *Finis* ergo hujus societatis est utilitas et commodum heri.

223. — *Officia domini.* Debet dominus famulos amare, instruere, corripere eorumque operam justo stipendio remetiri. Etenim servi et domini eumdem Patrem habent in cœlis, eamdem naturam eumdemque finem ultimum; idcirco sunt fratres, imo dominus respectu famuli vices patris naturalis gerit, ideoque etiam hoc titulo fa-

mulum diligere debet, ejus saluti prospicere, et consequenter eumdem corripere, limites justæ et licitæ correptionis minime tamen transgrediendo. Deinde *dignus est operarius mercede sua* (Matt. 10), ac proinde peccant domini qui stipendium famulorum retinent aut solvere differunt, qui recusant quod justum est.

224. — *Officia famulorum*. Dominis suis famuli debent obedientiam, reverentiam, obsequium, fidelitatem et opera de quibus pacti sunt. Hæc omnia ex natura societatis herilis sponte efflorescunt, in qua herus auctoritatem habet.

225. — *De servitute*. Præter communem seu simplicem famulatum, qui nostro ævo in usu est, alius habetur qui proprio nomine vocatur servitus, atque olim mancipia efficiebat. Servitus tamen restringi potest ad mancipium *operosum* dumtaxat, et quidem perpetuum, ut dum aliquis se suamque familiam perpetuo manciparet, quoad opera tantum, minime vero quoad omnia jura, et præsertim quoad existentiam. Verum *servitus* magis proprie dicta habetur in qua, non modo opera, sed omnia jura ipsaque existentia mancipantur.

Servitus sive operosa tantum, sive proprie dicta potest esse *ultronea*, etsi in ultimo casu pactum juri naturæ, ut postea videbimus, adversetur.

Origo servitutis proprie dictæ repetenda est ex increbrescentibus inter homines bellis : mancipia enim, juxta vim nominis, idem est ac *manu capti*, dum *servi* a *servando* dicti sunt : mancipia, ait Puffendorff, erant bello capti, quorum mors differebatur arbitrio victorum, quo tempore istis placuerit exigenda. Hæc servitus evidenter est *coacta*.

226. — Thesis I. *Servitus in qua quis se perpetuo et totam suam familiam, pro tempore quo ista est sub potestate paterna, quoad opera alicui ultronee manciparet, juri naturæ absolute adversari non videtur.*

Probatur. Illud pactum juri naturæ adversatur cujus objectum ab illo jure vetatur. Sed in illo contractu aliquid istius modi non deprehenditur : opera enim alicujus hominis et suæ familiæ, et non alia jura, sunt objectum hujus pacti; sed homo est dominus suorum operum. Ergo.

Verum si alienare vellet jura quorum liberam dispositionem non haberet, certo esset pactum illicitum. Unde diximus : *pro tempore quo familia remanet sub potestate paterna.* Nam si vi illius contractus, totius suæ familiæ opera quis perpetuo manciparet, aliquid juri naturæ minus consonum certo inveniretur : nam, ut constat ex dictis, pater potestatem in filios non perpetuo servat; quamobrem liberos suos si ligaret etiam pro illo tempore quo extra ejus potestatem fiunt, jura filiorum læderet.

227. — Thesis II. *Servitus in qua quis omnia sua jura, ipsamque existentiam in bonum alterius permitteret, juri naturæ manifeste repugnat, sive sit ultronea, sive coacta.*

Probatur quoad servitutem *ultroneam.* Nemo pacisci potest de juribus quæ non habet; sed homo in propriam vitam jus non habet, neque omnium suarum actionum liberam dispositionem : nequit enim sua officia erga Deum a se procul mittere, neque propria natura entis rationalis et liberi proprioque fine spoliari. Ergo homo nequit alteri homini ita mancipari ut ex integro illi referatur, nulla retineat jura, et fiat *res domini* : homo nequit converti in rem.

Probatur 2° quoad servitutem *coactam.* Si violenti raptu homo in perfectam servitutem redigeretur, nemo non videt quam atrox esset hæc ratio agendi, et quantopere omnia officia erga proximum subverteret : omnibus enim juris naturalis violationibus superius enumeratis, hic adjiceretur flagitium immane contra humanitatem.

Si ex jure belli repeteretur origo similis servitutis, illud certo atrocitatem tanti facinoris non tolleret : nam quod est intrinsece malum, quod immutabili rerum ordini contradicit, jure belli cohonestari nequit, quum illud jus unice fundetur in necessitate, quæ nunquam poscit ut, desinente pugna, leges justitiæ et æquitatis perpetuo violentur.

228. — *Scholium.* Religio christiana, quæ conceptum personalitatis humanæ clarius manifestavit, paulatim servitutem e medio societatum vera fide imbutarum propulit. Servitus enim apud ethnicos grassabatur, et

ita in profundum radices egit ut jurisperiti romani summam servitutis injustitiam vix cognoscere valuerint. Cum enim omnia jura hominis, omnemque dignitatem humanam ex jure civitatis tantum repeterent, certo nullum principium eis suppetebat ad videndum quam exsecranda res sit servitus proprie dicta.

CAPUT II.

DE SOCIETATE CIVILI.

229. — Indigentiæ humanæ per solam societatem domesticam non satis provisum esset; nam post familiarum multiplicationem, novæ domus novæque congregationes hominum exortæ sunt; porro necessarium inter novas et veteres familias exsurrexit commercium quod ad normam æquitatis et communis utilitatis moderari debebat. Præterea ipsa persona humana per novas illas relationes civitatis perficitur et veluti amplificatur, ideoque societas civilis perfectibilitati naturæ humanæ apprime respondet.

Jam vero ut efficaciter ad unitatem socialem diversæ familiæ redigantur, non sufficit abstracta ratio boni communis ex facto sociali mutuandi, sed ad voluntatem et virium conjunctionem stabilem tuto obtinendam, requiritur vis aliqua externa ad unitatem realem redigens varias familias seu, aliis verbis, imperium, quod est veluti forma constitutiva unitatis socialis. Itaque præsens caput in duos articulos distribuemus, quorum primus erit de societate civili in se spectata, alter de suprema hujus societatis potestate speciatim inspecta.

ARTICULUS I.

De societate civili generatim inspecta.

230. — Considerabimus *originem*, *finem* et *intimam structuram* hujus societatis, et quidem breviter, præsertim quoad ultimam partem, quia de hac re etiam agitur in articulo sequenti ubi de suprema potestate disputabimus : potestas enim est veluti forma societa-

tis. Itaque in præsenti articulo totum compositum seu materiam et formam per modum unius investigamus; in sequenti distributive hæc elementa essentialia totius compositi inspiciemus, loquendo directe de parte formali, seu de potestate, et indirecte nempe ob connexionem necessariam materiæ socialis cum forma, de parte materiali, seu de subditis. Jura enim et officia auctoritatis atque multitudinis sunt correlativa.

§ I. De origine societatis civilis.

231. — Nonnulli juris interpretes, præsertim protestantes, originem societatis ex quadam libera hominis conventione derivant, qui proinde statum civilem hominis prorsus accidentalem esse decernunt; alii auctores, rectius de hac re sentientes, illam originem repetunt ex natura sociali ipsius hominis et simul ex factis quibus instinctus sociabilitatis ad actum redigitur.

232. — I. *Primum systema* fundatur in hypothesi cujusdam primitivi *status naturæ*. Juxta jurisperitos protestantes, homo primitus extra omne consortium cæterorum vitam degebat; sed cum singuli pares non essent tum propulsandis aliorum injuriis, rapinis, furtis, etc., tum comparandis rebus omnibus ad vitæ sustentationem necessariis, ab aliis quærere auxilium coacti sunt, et vicissim polliceri. Inde emersit pactum sociale, quod efficit et signat transitum e statu naturæ ad statum socialem.

Sed ille status naturæ primitivus etiam diverse accipitur a variis auctoribus ; a quibusdam, inter quos eminent Hobbesius et Rousseau, habetur ut *status historicus* seu factum reale; secundum Puffendorfium, Grotium et alios, est status fictitius seu mera *fictio juris* ad scientiam socialem requisita.

233. — *Hypothesis de statu naturæ fictitio* sustineri nequit.

Etenim 1° id quod nunquam fuit, exhibetur ut causa ad explicandas relationes reales ordinis socialis sufficiens. Per meram enim abstractionem seu mentis fictionem exoritur ordo realis physicus, et *fictiones* habentur ut principia absoluta et fundamentalia totius ordinis realis in societate politica. Porro quantum hæc ratio philosophandi a veritate aberret, nemo est qui non videat.

2° In hac hypothesi, jus sociale esset ex toto fictitium, et constaret relationibus arbitrio doctorum Protestantium conflatis. *Prob.* Non potest legitime erui ex principiis quod in ipsis non includitur. Atqui principia juris socialis, quæ sunt meræ fictiones juris, non continent nisi quid fictitium ad jus aliquod in animo vel phantasia effingendum spectans; ergo ex ipsis nonnisi consequentiæ fictitiæ id est jus fictitium deduci possunt, et sic totum illud systema extra ordinem realem et veras rerum relationes evagatur.

3° Ex confutatione hypothesis sequentis, hæc prima etiam convelletur.

234. — *Hypothesis de statu naturæ historico.* Hobbesius, in suo libro *De Cive*, statum naturæ tanquam *historicum* profert, et probat, non, ut par esset, ex populorum annalibus, sed a priori, imo et absurdo principio innixus. Extemplo enim asseverat genus humanum a civili consortio per se alienum esse, et hujusce principii sequentem affert probationem :

Finis adæquatus et norma agendi hominis in voluptate consistit, siquidem homo nonnisi facultatibus sensibilibus ornatur; atqui voluptas, quum sit per se principium mere subjectivum, nonnisi ad egoismum adducit ex jugi prosecutione voluptatum; quinimo ad bellum perpetuum aliis omnibus indicendum continuo impellit; ergo status segrex est naturalis homini, qui proinde nonnisi causis externis, nempe molestiis aliorum, qui ex insatiabili pugnæ appetitu quem egoismus parit, vim sine intermissione inferunt, ad statum socialem adduci potuit.

Confutatur facillime illud absurdum systema :

1° Fundatur in falsis principiis tum de fine et norma agendi hominis, tum de natura humana, quæ sola sensibilitate constaret (II, 184, etc.); itaque totum molimen hoc basi labili innixum sustineri nequit.

2° Pugnat sive cum historia, quæ nullum unquam vestigium hujus fucati status naturæ exhibuit, sive cum ipsa indole hominis, qui natura suas ocialis est, ut postea probabimus.

235. — Rousseau eadem fere principia tenet, et statum naturalem hominis in vita solivaga et sylvestri reponit. Verum causas extrinsecas, quibus homo ad sta-

tum socialem adductus fuit, non ex injuriis molestiisque aliorum hominum repetit somniator iste, sed easdem in perpetuo conflictu cum belluis quæritare maluit. Initio homo, etsi perfectioribus quam cætera animantia organis instructus, tamen belluis longe infirmior et imbecillior exstitit; sed in suis assiduis bellis cum animantibus industriam istorum didicit, non secus ac nunc populus aliquis contra alium pugnans hujusce artem strategicam deprehendit.

Itaque suis relationibus cum bestiis expolitus ac perfectus, homo ad statum perfectæ sensibilitatis pervenit; deinde, post multa sæcula, rationis compos effectus, sua libertate uti didicit, quam cæteroquin, etsi inertem, antea possidebat : ex istius libertatis usu emersit *contractus socialis.*

Falsitas hujus systematis, quod est partus imaginationis ægritudine laborantis, tam evidens est ut pro homine quam minime cordato nulla indigeat confutatione; sufficit ergo ut animadvertamus illud manifesto pugnare cum historia, præterquam quod naturam rationalem hominis destruat : ex dictis in psychologia abunde confutatur.

236. — II. *Vera sententia* et rationi consona societatem civilem repetit ex duplici elemento naturali, nempe 1° ex natura sociali hominis, qui intrinsecus, seu ex propriis constitutivis, ad hanc societatem ordinatur, et id jam docuit Aristoteles : 2° ex factis etiam naturalibus quæ socialitatem hominis ad actum reducunt. Itaque societas non est tantum opus artificiale et liberum, sed opus a natura ipsa intentum et positive præmonstratum. Hanc sententiam enucleare quoad utramque, qua constat, partem expedit.

237. — Thesis I. *Homo natura sua socialis est.*

Probatur 1° *Ex facto.* Monumenta priscorum temporum nihil aliud exhibent nisi hominem in societate tum domestica, tum civili viventem. Ergo quum illud factum constans et uniforme oriri non possit nisi ex propensione naturæ, liquet hominem natura esse socialem.

2° *Ex facultate loquendi.* Proprium est hominis loquela uti; sed loquela est vinculum societatis. Ergo

quum facultas loquendi sit homini congenita, fit ut ab ipsa natura homo ad statum socialem ordinetur.

3° *Ex nativa indigentia et perfectibilitate hominis.* Homo ad evolutionem vitæ corporalis et spiritualis auxilio aliorum hominum diuturno et assiduo indiget, et educatione magis ac magis ejus facultates perficiuntur, dum alia animalia cito ad propriam perfectionem deveniunt, et naturali instinctu ad necessaria vitæ ducuntur. Ergo homo natura sua ordinatur ad consortium cum aliis hominibus.

4° *Ex naturali hominis proclivitate* ad communicandum cum aliis hominibus, tum in faustis eventibus, tum in ærumnis et pœnis. Est factum omnibus notum, et quidem propria experientia. Ergo.

238. — *Scholium.* Hæc socialitas hominis sese, quoad potest, evolvit : est vis quæ terminos suæ actionis indefinite quærit, et cujus limites alii non sunt nisi limites ipsiusmet cognitionis. Statim enim ac intelligentia possibilitatem relationis socialis exhibet, hic instinctus socialitatis relationes illas sponte naturæ appetit, quia non parti naturæ humanæ alligatur, sed totam naturam afficit. Inde sola societate domestica non satiatur, si præsto sunt elementa societatis civilis. Qua de causa socialitas, homini naturaliter indita, per se ordinem dicit etiam ad societatem civilem.

239. — Thesis II. *Homo per factum propriæ existentiæ in societate universali seu humana quodam modo constituitur.*

Probatur. Homo, per existentiæ factum, naturam omnibus hominibus communem recipit, ac proinde omnes homines ad eumdem finem ordinantur, et eidem legi naturæ subjacent; præterea homo facultate cognoscendi naturaliter ornatus, hunc communem finem, communemque legem naturæ, vi existentiæ, cognoscere potest.

Atqui societas, ut diximus, est consensio voluntatum et virium intuitu finis communis adipiscendi. Ergo, ex facto existentiæ, jam homo ad quamdam societatem universalem, saltem late et remote, ordinatur.

240. — Thesis III. *Factum naturale et primigenium, a quo societas civilis in concreto originem ducit, est ipsa familiarum ex eodem stipite propagatio* (1).

Nota. Hic non agitur de diversitate societatum civilium, seu de diversitate nationum et populorum, et de factis particularibus quæ istius diversitatis originem explicant; hæc enim facta plerumque sunt accidentalia. In præsenti ergo non quæremus de causa diversitatis et multiplicitatis nationum, sed unice de societatis civilis, ut sic, origine, seu de facto quod per se necessario pullulet a natura respectu hujus societatis producendæ.

Probatur. 1° Ex historia, quæ hanc originem nationum exhibet, saltem quando circa illam notiones certas et exploratas tradere potest : historia sacra id clare ostendit et expressis verbis refert circa antiquiores nationes.

2° Instinctus socialitatis, ut diximus, est vis nullis limitibus loci vel temporis clausa, quæ simul cum appetitu beatitatis, novas et utiles associationes ipso naturæ pondere quærit; porro societas domestica indigentiis humanis non plene satisfacit, neque instinctum socialem exhaurire potest. Ergo sponte naturæ societas domestica ampliorem evolutionem appetit, seu quemdam ascensum ad societatem perfectiorem constituendam, quæ homini juvando et perficiendo plene suppetat.

Atqui hæc naturalis appetitio amplioris societatis, debet primum quærere propinquiora elementa hujus societatis constituendæ; sed propinquiores illi termini sunt affines et consanguinei pro ratione gradus, seu propinquitate vel distantia a communi stipite. Ergo.

3° Homo *physice* id habet commune cum omnibus animantibus quod instinctu quodam propagationis ducatur; *moraliter* alios homines suarum idearum participes reddere cupit : sed 1° matrimonia, quæ de se sunt vinculum sociale, contrahi solent inter familias viciniores, ac proinde ratione sanguinis propinquiores : perceptio enim sensilis nonnihil confert ad connubia contrahenda. 2° Hæc idearum et impressionum commu-

(1) Liberatore, Jus soc. c. II, art. 2 n. 38.

nicatio nonnisi inter homines origine et loco propinquiores haberi potest. Itaque ex sua proclivitate physica et morali, homo impellitur ad novas relationes creandas cum familiis vicinioribus. Ergo propagatio familiarum quæ terminos relationum socialium amplificat, communitas stipitis quæ familias propinquat et quodammodo commiscet, haberi debet ut factum naturale, quod societati civili originem dat.

§ II. — De fine societatis civilis.

241. — Spectata origine societatis politicæ, ad ejus finem indagandum migrare oportet, et quidem antequam de ejusdem structura eloquamur; finis enim est criterium quo de officiis et juribus, et de ipsa natura societatis illius judicium ferre possumus.

Origo societatis civilis nonnisi obscure scopum ejus ostendit, quia homines instinctu adducuntur ad hanc societatem, potiusquam ratione et reflexione. Verumtamen hypotheses circa originem consimilia systemata etiam inducunt circa finem; inde nonnulli finem societatis reponunt, alii in tutela jurium vel in securitate interna et externa sociorum, alii, in copia bonorum externorum, etc.

Kantius, et, post illum, Rationalistæ fere omnes illum finem reposuerunt *in mutua coarctatione et harmonia libertatis*. Ex stabilita ab ipso autonomia rationis (82) et voluntatis humanæ respectu cujuslibet principii externi, statim concludit voluntatem ad operandum non inflecti nisi per rationem, semotis impressionibus empiricis. Impressiones ejusmodi, juxta ipsum, sunt vel internæ vel externæ : internæ procedunt ab appetitu et affectibus animi, et constituunt ambitum ordinis moralis; externæ, a quadam vi humana actionem nostram impediente, oriuntur, et constituunt ordinem juridicum. Immunitas a prioribus vocatur ab ipso libertas *interna* aut *moralis;* immunitas ab hac coactione humana actiones nostras præpediente, est libertas *externa* seu *juridica.*

Jam vero hæc ultima libertas, etsi per se limitibus careat, practice tamen debet limitari; nam simul est, et quidem sine limite, in omnibus hominibus, et nihilominus respicit idem objectum, nempe mundum vi-

sibilem; itaque in quocunque homine debet ita restringi et coarctari hæc libertas ut cum ipsa *coexistere possit* libertas aliorum : hinc principium, quod vocat *coexistentiæ*, ex quo status seu societas civilis emergit, cujus proinde finis nonnisi in mutua coarctatione et libertatis harmonia sistere potest.

242. — *Confutatio sententiæ kantianæ.* 1° Principium in quo stabilitur totum illud systema est falsum (81). Ergo et molimen superinde exstructum nullius roboris est.

2° Falsum est quod libertas externa per se careat limitibus, ut constat ex dictis de principiis directivis morum. Kantius enim, ut solet, confundit libertatem in abstracto spectatam et sine ulla determinatione subjecti, cum libertate reali, quæ in subjecto particulari residet : prior, quæ est universalis conceptus libertatis, abstractione facta modi quo est in Deo, vel angelis aut hominibus, est aliquo sensu illimitata, licet præscindere nequeat a regulis honestatis et justitiæ; sed altera est evidenter ad mensuram ipsius subjecti, seu illis legibus moralibus determinatur et regitur quibus subjectum natura sua subditur.

3° Kantius scopum societatis politicæ negativum reddit, qui ex toto consisteret in externa coarctatione qua libertas in debitis limitibus contineretur : quocirca hæc societas nullam virium conjunctionem affert, nullum finem communem omnibus membris præstitutum, ut nihil dicam tum de atheismo legali inde exorto, tum de interitu totius moralitatis publicæ proficiscente ex hac doctrina : suicidium enim, blasphemias, polygamiam, incestum, etc... damnare nequit hæc societas, quia hæc omnia libertati aliorum non detrahunt.

243. — Thesis. *Scopus politicæ societatis in bonis externis comparandis sistit, quatenus ad communem prosperitatem singulorum membrorum se referunt, et interno moralitatis ordine informantur.*

Probatur. Quoad triplicem qua constat partem.

Pars 1ª. Hic finis in bonis *exterioribus comparandis* sistit. Scopus enim societatis civilis debet esse aliquod bonum actione externa et sensibili attingibile, quod vires naturales elementorum socialium collectim sumptas

non prætergrediatur; atqui bona externa, seu generatim ordo exterior ac visibilis est aliquod bonum vires naturales hominis, saltem collectim sumptas, non excedens, quod proinde externa entis socialis operatione plus minusve perfecte procurari potest. Ergo.

Pars 2ª. Finis ille *in singulos socios redundet*, necesse est. 1° Societas quæ ad perfectionem suorum membrorum natura sua ordinatur, debet certo vergere in commodum, non autem in detrimentum sociorum : secus socialitas esset instinctus naturæ contra ipsam naturam, et collectio virium minus posset pro singulis quam vires individuales distributive sumptæ, quod est absurdum. Itaque scopus societatis debet esse prosperitas singulorum membrorum.

2° In societate vires uniuntur et media communia adhibentur ut collectio bonum consequi possit, ad quod singuli homines seorsim sumpti se attollere non valerent; atqui bonum illud, cujus possessio est fructus actionis socialis, est bonum commune in concreto spectatum, seu quatenus adeptum, ac proinde aliquid cujus singuli socii aliquo modo participes sunt. Ergo quod bonum est finis societatis civilis, debet aliquo modo ad singulos spectare.

Pars 3ª. Hæc bona exteriora ad *normam ordinis moralis* determinari debent, seu ab illo ordine informari necesse habent. Etenim omnia media et omnes fines particulares ad finem ultimum directe vel indirecte se referre debent. Atqui ordo moralis est positiva et adæquata ordinatio ad finem ultimum. Ergo omnia bona quæ non constituunt finem ultimum, et quæcumque media ad illa obtinenda, directe vel indirecte referri debent ad ordinem moralem, eique obnoxia sunt.

Præterea societas civilis et ordo exterior quem procurat, certo non est finis ultimus hominis, sed rationem medii evidenter habet (229), ut alias constat ex superius dictis : nihil peragere aut adhibere potest homo quod non referat aliquo modo ad suum finem ultimum (95). Itaque ordo ille exterior et bona externa quibus constat, sunt obnoxia ordini morali, qui ipse est interior et positiva ac immediata ordinatio ad finem ultimum (98).

§ III. — De œconomia interna seu de natura societatis civilis.

244. — Ex natura communi et ex sociabilitatis instinctu qui sese evolvere et diffundere indefinite appetit, homo ad societatem ordinatur, et quidem universaliorem quæ possit haberi; homo sponte naturæ appetit transitum a societate domestica ad civilem; quamobrem, ut ostendimus, a domestica societate proficiscitur politica, quæ familias copulat et ipsa individua, mediante familia.

Societas enim amplior societates inferiores perficit; sed easdem destruere non debet, secus ad propriam ruinam et demolitionem laboraret.

245. — Non desunt tamen auctores qui inficiati sunt societatem civilem immediate constare familiis, et individuis nonnisi mediate, nempe quatenus sunt elementa societatis domesticæ. Ita post Hobbesium et Rousseau sentiunt rationalistæ omnes, qui societatem civilem per *fictiones juris* ab arbitrio dissolvunt, et postea eodem modo redintegrant per consensum implicitum vel explicitum civium.

Sed hæc doctrina est falsa, 1° quia homo nonnisi vi familiæ integritatem et perennitatem obtinet, ideoque strictiore et stabiliore vinculo cum societate domestica copulatur quam civili adhæret : ordo rationis, propensio sensibilis, præter processum originis, clare ostendunt hominem individuum prius familiæ, deinde civitati conjungi. 2° Ipse conceptus familiæ cum natura hominis intimiori modo cohæret quam conceptus civitatis. 3° Jura domestica anteriora et stabiliora sunt juribus civilibus, ideoque societas politica nequit exhaurire aut immutare jura domestica. Ergo civitas jura hæc subaudit, ac proinde inter se copulat ipsas familias, et non posset immediate attingere individua, quin solvat jura domestica, quæ ab ipsa destrui aut immutari nequeunt sine manifesta violatione juris naturalis.

246. Thesis. *Elementa essentialia societatis sunt multitudo et auctoritas.*

Nota. Superius diximus quomodo sit intelligenda hæc multitudo socialis. Hic præscindimus a distinctione ele-

mentorum in mediata et immediata, seu in individua et familias.

Probatur. Societas, quæ est persona moralis aut juridica, necessario importat unitatem et multiplicitatem : etenim sine unitate jam membra essent disjecta, non autem elementa ordinata ac copulata seu societas; sine multitudine, seu diversis sociis, manifesto non foret societas, siquidem absque multiplicitate non datur collectio. Atqui, si unitas non esset realis, seu in principio reali et concreto non fundaretur, ipsa societas realis et concreta non foret, sed abstracta seu possibilis remaneret : sine vinculo reali ac physico partes solutæ perstarent. Ergo sine multitudine et auctoritate, societas nec esse nec concipi potest.

247. — *Scholium.* Principium unitatis generatim inspectum dicitur *auctoritas*, quæ in se et abstracte spectata est *quidam complexus jurium*. Persona physica aut moralis quæ hisce juribus utitur, *subjectum* potestatis appellatur.

248. — Thesis II. *Potestas politica ad proprium commodum subjecti hujus potestatis non spectat, sed directe ad commodum totius communitatis ordinatur.*

Nota. Hæc thesis, etsi in se sit fere evidens, debet tamen probari, propter plures negationes tam speculativas quam practicas.

Probatur. 1° Potestas est principium quo vires sociales ita inter se coaptantur ut bonum commune a multitudine attingi possit : aliis verbis, est id quo multa membra realiter et efficaciter unum quid efficiunt intuitu finis socialis assequendi.

Atqui finis socialis, seu bonum commune, est id cujus particeps effici debet ipsa multitudo associata, id est communitas, seu omnes et singuli.

Ergo non propter se, sed propter alios, constituitur potestas politica.

2° Ratio existendi societatis civilis est adeptio, juxta leges moralitatis, bonorum externorum (243), ad quæ sola familia sibi relicta pertingere non valeret; sed potestas est medium efficax perveniendi ad possessionem boni communis. Ergo potestas non ad se, sed ad alios ordinatur, seu unice rationem medii habet.

249. — *Scholium*. Specialis dispositio elementorum socialium sub una potestate, seu modus quo potestas ad multitudinem essentialiter se habet, dicitur *constitutio* politicà. Est analogia ex individuo physico desumpta, in quo per constitutionem intelligitur dispositio partium respectu totius. Congruenter huic conceptui generaliori, constitutionis nomine intelligi solent ea statuta scripta vel non scripta quibus alicujus societatis regimen ordinatur, sive 1° respectu potestatis in se quoad ambitum et exercitium jurium quæ eidem competunt illamque constituunt, sive 2° respectu personarum, in quibus data potestas resideat, seu quoad determinationem *subjecti* potestatis.

250. — Thesis III. *Constitutio politica debet esse organica, non mechanica.*

Nota. *Mechanismus* est dispositio materiæ inertis ad exsequendum motum; *organismus* est dispositura aut ordo partium peculiari structura constantium et actione propria fruentium : v. g. organismus humanus. Itaque constitutio dicitur mechanica quæ ad se accommodat sine discrimine elementa societatis; est organica quando e contrario variis et essentialibus elementis juxta propriam eorum naturam sese accommodat.

Probatur. Societas personis constat, quæ propriis juribus et libertate gaudent, in societatibus particularibus coadunantur, (243) atque viribus inæqualibus et intelligentiis gradu diversis fruuntur; atqui constitutio mechanica, ut constat ex definitione, personas in res convertit, jura individualia et domestica destruit, libertatem necessariam ad propriæ industriæ propriique ingenii explicationem tollit, dum in constitutione organica omnia elementa adhibentur juxta propriam cujusque naturam, nempe rationem organi particularis habent. seu secundum suam indolem, naturalemque ordinationem operantur in illo corpore morali, quod societas appellatur. Itaque manifestum est constitutionem politicam esse debere organicam.

251. — *Corollarium*. Ergo constitutio politica in qua individua et inferiores societates, præsertim domestica, omni motu spontaneo destituerentur, quæ proinde in suprema potestate civili jura individualia et domestica includeret, a jure naturali certo aversa esset.

ARTICULUS II.

De suprema potestate politica.

Agemus de *origine*, *natura* et *variis formis accidentalibus* supremæ potestatis politicæ.

§ I. — De origine supremæ potestatis in societate civili.

252. — Omnia systemata circa hanc quæstionem ad tria reduci possunt, nempe 1° ad contractum socialem; 2° ad collationem divinam, mediantibus concursu naturali et cooperatione hominis; 3° ad doctrinam de directa et immediata collatione a Deo facta. Primum originem mere humanam et pactitiam assignat eamque a juribus individualibus ducit; secundum radicaliter a Deo, auctore naturæ, repetit supremam potestatem, proxime ab ipsa communitate ; denique tertium originem divinam, sine speciali ac immediata cooperatione communitatis assignat.

253. — I. *De contractu sociali.* Illud systema, quod est manifestus Protestantismi surculus, suarum deductionum fundamentum ponit in *statu naturæ* (232, etc.) a quo, ope nonnullorum pactorum, homo ad statum socialem transiret. Juxta Puffendorfium, hic transitus perficitur per triplicem contractum : 1° Civitas constitui debet, quod obtinetur per *pactum unionis*. 2° Forma regiminis postea determinatur, intercedente *decreto formæ;* denique 3° omnia membra civitatis se spoliare debent parte, aut juxta plerosque, totalitate suæ libertatis, quam cedunt communitati, ut potestas publica de facto inde constituatur ; en *pactum subjectionis*. Hec proinde auctoritas unice constat hac donatione facta a multitudine associata, seu a singulis de multitudine.

Alii auctores pactum formæ rejiciunt, quod in pacto subjectionis includitur; imo Hobbesius unicum agnoscit contractum socialem, qui est *pactum renuntiationis* propriæ voluntati in commodum voluntatis generalis, seu potestatis publicæ.

254. — Pacto sociali, unico aut triplici, semel peracto, loco personæ cujusque contrahentis, exsurgit corpus morale et collectivum tot constans membris, quot sunt

contrahentes (1). Quamobrem potestas ipsa est voluntas generalis, et subjectum potestatis nihil aliud quam *organum* ejusdem voluntatis ab ipso communitatis arbitrio constituendum; nam voluntates particulares, ope contractus socialis, e statu distributivo ad collectivum transeunt, quin tamen aliquid propriæ voluntatis reapse amittant : libertas enim humana est essentialiter inalienabilis; ab alio exercenda committitur, sed nemini irrevocabiliter datur. Ergo potestas suprema, quæ est voluntas generalis, in populo, modo permanenti et imprescriptibili (2), residet.

23[illegible]. — Thesis I. *Theoria contractus socialis in se est absurda, et in suis consequentiis theoreticis et practicis subversiva totius ordinis socialis, et præsertim potestatis publicæ.*

Probatur 1ª *pars.* 1° Hæc absurditas jam patescit ex falsitate principiorum quibus innititur : 1° Quid de statu naturali seu primitivo sentiendum sit, jam antea diximus : fundamentum historicum systematis est evidenter falsum;

2° Aliud principium est inalienabilitas libertatis humanæ. « *Homines,* dicit art. 1us declarationis 1789, *nascuntur et manent liberi æqualesque ad jura quod attinet.* » Atqui in positione illius principii latet turpis æquivocatio : 1° libertas psychologica seu physica certo est inalienabilis; sed hæc libertas est dos interna de qua in præsenti non agitur; 2° libertas a coactione, quæ servituti proprie dictæ opponitur, etiam alienari nequit, ut constat ex dictis (227); sed 3° libertas quæ opponitur subjectioni civili certo potest alienari, siquidem hæc alienatio nihil aliud est quam subjectio ipsi rationi : quod postulat ordo naturæ. Atqui de hac ultima duntaxat loquuntur adversarii, qui huic dotes aliarum specierum libertatis inepte adscribunt.

Ergo illud principium contractus socialis, quod ex patenti confusione inter libertatem psychologicam et libertatem civilem enascitur, et utramque permiscet, attributa unius alii tribuendo, est evidenter falsum.

(1) Rousseau, Contr. soc., l. I, ch. 6.

(2) Art. 3 de la Déclaration des droits de l'homme.

3° *Æqualitas absoluta* omnium hominum aliud est deliramentum; nam in adversariorum mente, agitur, non de æqualitate specifica et abstracta quæ ad identitatem naturæ et finis revocatur, sed de æqualitate individuali, de qua unice sermonem instituunt : id sufficienter constat ex dictis, et alias res est ab omnibus nota; hic ergo nova etiam reperitur confusio et æquivocatio inter res plane distinctas, nempe inter notionem abstractam hominis generatim inspecti, et hominem particularem præ suis conditionibus individuantibus spectatum; homines quoad solam naturam spectati evidenter sunt æquales, siquidem natura humana est specifice una; quoad conditiones individuales non minus aperte liquet homines esse inæquales, etiam ad jura individualia quod attinet, quorum alia sunt innata et alia acquisita.

II. Absurditas patet etiam *ex contradictionibus :* 1° Ad libertatem servandam medium invehitur libertati maxime infensum : nempe spoliatio omnium jurium ad potestatem publicam constituendam. Etenim si realis est hæc potestas, jura in se habet et retinet, ac proinde apud socios libertas abstracta et possibilis remanebit (seu acquirenda aut recuperanda), et realis nulla erit, secus potestas publica non realis esset neque realiter exerceretur.

2° Libertas individualis est inalienabilis, et tamen hujusce alienatio est fundamentum contractus socialis : omnia jura potestati cedunt socii, et tamen hæc omnia incolumia servant. Ad hæc pugnantia inter se componenda, defensores illius insulsæ hypothesis *fictiones juris* advocant, ac populo libertatem fictitiam aut principi potestatem mere nominalem assignant.

Sed agitur de re ipsa, minime vero de mentis abstractionibus.

Probatur 2ª *pars.* 1° Illa theoria ordinem socialem solvit ab ordine morali et ab ipsa Dei suprema potestate, siquidem fons omnium jurium et officiorum est sola libera voluntas populi. Singula enim membra, juxta Hobbesium et rigidiores, propriam voluntatem penitus abdicarunt, ut postea leges omnes accipiant a potestate civili, seu a voluntate generali; hæc proinde voluntas esset regula independens et suprema justi et injusti.

Ergo ordinem moralem et religiosum plane exstinguit illud systema, quod totius moralitatis fontem et unicam ordinis etiam religiosi regulam in consensu populari collocat.

2° Per se ducit, et quidem violenter, ad socialismum et communismum, seu ad destructionem cujuscumque diversitatis in conditionibus socialibus. Etenim perfectam docet æqualitatem inter cives, quæ obtineri nequit quominus diversitas conditionum tollatur. Præterea cum hominem ab omni lege morali, ac proinde a quovis fræno interius compescente solvat, semper licitum erit civi hanc æqualitatem repetere.

3° Potestatem publicam in concreto spectatam semper nutantem reddit, et omnibus perturbationibus politicis indulget. Subjectum enim potestatis supremæ est ad nutum revocabile, et semper civium voluntati obnoxium; mandatum ipsi collatum est semper rescissorium, quia potestas est modo inalienabili et imprescriptibili penes populum. Ergo persona physica aut moralis quæ mandatum a populo accepit gubernandi rempublicam, potest semper et quotidie, et quovis medio, potestate politica privari. Et id expressis verbis plures docuerunt (1).

256. — *Scholium.* Hæc theoria, quod mirum videretur si extrema opposita non sese conjungere solerent, ad tyrannidem omnino incredibilem ducit. Cum subjectum aliquod hujus potestatis constituitur, si auctoritatem sic definitam ad se arriperet, jam arbiter supremus foret cujuscumque justitiæ et æquitatis : quilibet enim actus istius modi regnatoris, seu jussio, qua talis, esset norma justitiæ et æquitatis, quantumvis sit prava. Et hanc conclusionem jam expressis verbis eruit Hobbesius dicens : « Summos imperantes peccare non posse, neque cum ratione unquam culpandos. » Quare mirum non est quod aliqui dominatores dolosi et nihil pensi habentes huic doctrinæ faveant.

257. — Thesis II. ***Illud systema originem ducit a protestantismo, cujus est mera applicatio ordini politico.***

Probatur. 1° *Historia juris* id ostendit, quia auctores protestantes hanc theoriam cuderunt, aut certo principia

(1) Sieyès. *Qu'est-ce que le Tiers-Etat ?* p. 116.

hinc inde sparsa in aliquod corpus doctrinæ redegerunt. Grotius in suo tractatu *de jure belli et pacis* semina hujus theoriæ jecit, et hæc principia Puffendorfius et Bœhemerius in Germania evolverunt, in Gallia, Rousseau et tota secta philosophica sæculi XVIII. Imo ipse Hobbesius ait : « Scientia socialis antiquior non est libro quem de cive scripsi ». Itaque de origine historica constat : statim post Reformationem apparuit hæc theoria, et a legisperitis Protestantibus primitus propagata fuit.

2° *Connexionem logicam* theoriæ contractus socialis cum dogmatibus Protestantismi enodatius explicare ad specialem tractationem juris publici præsertim spectaret (1). Sed connexio hæc est adeo obvia, ut ad eam ostendendam sufficiat monere : *a*) principium fundamentale Reformationis esse famosam illam *libertatem christianam*, ut aiunt, nempe autonomiam absolutam rationis individualis in rebus religionis ope solius Scripturæ, ad exclusionem cujuslibet potestatis docentis, dum principium primordiale contractus est *libertas absoluta* ac plena independentia cujusque, inde et *æqualitas perfecta* inter omnes homines.

b) *Potestatem supremam* in rebus fidei et morum decernendis, seu in ordine *religioso*, esse quemlibet privatum credentem, docent omnes sectæ protestantes, dum potestas suprema in ordine *politico*, juxta theoriam quam impugnamus, penes ipsos cives, seu multitudinem, inalienabiliter resideret. Ergo analogiam nemo non videt, et exinde liquet theoriam contractus socialis esse meram applicationem Protestantismi religiosi ordini civili et politico : ex utraque parte suprema potestas directiva est apud singula membra uniuscujusque societatis, aut ex ipsis oritur.

258. — II. *Systema Scholasticorum*. Non pauci auctores incauti confundunt doctrinam communem scholasticorum cum contractu sociali ; sed datur discrimen essentiale inter utrumque systema. Scholastici, et speciatim Suarez (2) docent : 1° *Quoad originem*, supremam potestatem, in se spectatam, venire *a Deo* ut auctore

(1) Vide *Principes du droit public* : De la société civile, sect. 1ª c. 1. art. 1.

(2) De leg. lib. III c. 2 § 4. 6; Defens. fid. cath. adversus regem Angl. lib. III c. 1. 2.

naturæ; porro id minime docet superius systema, quod omnem potestatem *ab homine* repetit.

2° *Quoad modum* quo a Deo confertur : hæc potestas datur, non per specialem actionem vel concessionem a creatione distinctam, sed per modum proprietatis consequentis naturam, nempe medio dictamine rationis naturalis, quæ ostendit Deum dedisse hominibus potestatem, ad suam conservationem et convenientem gubernationem, necessariam.

3° *Quoad tempus* quo datur, hæc potestas non resultat in natura humana donec homines in unam perfectam communitatem congregentur et politice uniantur, siquidem non est in singulis hominibus divisim sumptis, nec in collectione vel multitudine eorum quasi confuse et sine unione membrorum in unum corpus; sed dum, unitis voluntatibus et viribus familiarum plurium constituitur hoc corpus politicum, statim in illo est potestas. Itaque eo ipso quod corpus politicum materialiter, ut ita dicam, producitur, formaliter potestatem sortitur, non secus ac per generationem filius sortitur intellectum et voluntatem, etsi parentes de hac re nullam specialem voluntatem habeant, sed tantum voluntatem generandi. Hinc requiritur voluntas hominum ut perfectam communitatem componant, non autem voluntas constituendi potestatem, quæ a Deo est indita eo ipso quod materia est apta ad illam tanquam formam, recipiendam.

4° *Quoad subjectum :* licet hæc potestas sit veluti proprietas naturalis perfectæ communitatis, ut talis est, tamen in ea non est *immutabiliter*: sed per consensum ipsiusmet communitatis, vel per aliam justam viam, potest transferri. « Communitas, inquit Suarez, potest se illa spoliare, si velit », et tunc transit tota hæc potestas tum quoad se tum quoad exercitium in principem. Porro contrarium docet contractus socialis.

259.—Cardo totius systematis scholasticorum, quatenus illud a *tertio* inferius explicando distinguitur, potest ita concipi : « Potestas civilis, inquit Suarez, quoties in uno homine, vel principe reperitur, *legitimo ac ordinario jure, a populo et communitate manavit, vel proxime vel remote*, nec potest aliter haberi, ut justa sit (1). »

(1) De leg. l. III, c. 4, n. 2.

Id probat Suarez 1° quia potestas ex natura rei est immediate in communitate, siquidem ipsa lege naturæ omnes homines nascuntur liberi, et ideo nullus habet jurisdictionem politicam in alium : potestas enim paterna est mere œconomica, non autem politica (1).

Quia hæc potestas ficte ac temere haberetur ut superne data regibus ac immediate per revelationem, cum de tali revelatione ut modo ordinario constituendi reges nullum habeatur vestigium in Verbo Dei; præterea omnes reliqui tituli regiæ potestatis per accuratam analysim revocantur ad collationem primitus a communitate factam.

Hæc omnia enodatius explicabimus, tertia sententia relata et pertractata.

260. — III. Theoria *de jure divino*, quæ nempe a Deo ipso, auctore gratiæ vel naturæ, per directam collationem ipsi principi, id est, personæ singulari, repetit potestatis politicæ originem. Sed hæc sententia non una et uniformis est apud auctores qui illam tuentur; tamen generatim opponitur contractui sociali.

Protestantica enim contractus socialis theoria nihil Deo tribuit in suprema potestate politica constituenda; cui systemati ex adverso opponitur sententia quæ *Doctrina de jure divino* appellari solet. 1° Si doctrina hæc in sensu lato sumeretur (261), nempe in quantum potestati supremæ in se spectatæ originem divinam assignat, a nullo catholico posset negari : nam est verissima et indubie revelata ; inde nemo qui sanam fidem retinere cupit, eam inficias ire potest : *Non est potestas nisi a Deo*, inquit S. Paulus. In hoc sensu doctrina scholasticorum ad præsentem sententiam revocaretur.

2° Verum sub hoc nomine « Theoria de jure divino » communius et stricte intelligitur doctrina quæ hanc originem directe et immediate in tali subjecto a Deo, ut auctore naturæ, repetit, uti, v. g., potestas paterna in filium, ac proinde prout excludit delegationem a multitudine factam, sive tanquam causam efficientem adæquatam, sive tanquam causam instrumentalem aut conditionem sine qua non : quo sensu apud catholicos libere controvertitur.

(1) Loco cit. 12.

Itaque in hac doctrina distinguere oportet *rem ipsam* seu *fontem assignatum*, et *modum* quo suprema potestas politica venit a Deo; *quoad rem*, seu ipsum dogma fundamentale, hæc sententia est verissima : *omnis potestas est a Deo; quoad modum* vero explicandi factum concessionis, sunt iterum plures sententiæ plus minusve probabiles.

3° Alio sensu et quidem pravo, nempe juxta adversarios fraudulenter interpretantes illam sententiam, per doctrinam de jure divino unice veniret illud systema quod per actionem Dei specialem, directam et *extra ordinem naturæ*, supremæ potestatis originem explicaret : et quidem hanc sententiam revera tenuerunt plures auctores; alii perverse, ut Marcilius Patavinus, Giannone, etc. qui potestatem Pontificiam potestati civili subjicere conabantur; alii, v. g., Josephistæ, Gallicani veteres, quibus favent Bossuet, Tournely, ut mutuam independentiam utriusque potestatis, civilis scilicet et ecclesiasticæ, vindicarent; alii denique, sine respectu habito ad potestatem sacerdotalem. His præmissis, quid sit admittendum, videamus :

261. — Thesis I. *Suprema potestas politica per se spectata a Deo procedit.*

Nota. Probationes theologicæ sunt in promptu positæ, nam in Scripturis multa reperiuntur testimonia disertissima et minime ambigua. Sed philosophicis probationibus thesis perfacile conficitur.

Probatur I. Societas civilis, ut constat ex probatis, non est pactitia sed naturalis (231, 240); homo enim natura sua ad hanc societatem ordinatur; sed Deus est auctor naturæ, ac proinde hujus ordinationis. Ergo est auctor ejus omnis quod est naturale in societate civili. Atqui societas civilis sine potestate nequit esse nec concipi, quum potestas sit pars formalis ipsius (246). Ergo si hæc societas est a Deo, necesse habetur ut ipsa potestas publica sit etiam aliquo modo a Deo.

II. Potestas suprema jure vitæ et mortis in subditos potita est, et facultate obligandi in conscientia : vox totius generis humani, quæ fallax esse nequit (I, 213), talem facultatem principibus assignat, qui cæteroquin illam semper exercuerunt; atqui jus vitæ et mortis et

potestas ligandi in conscientia ab hominibus certo non venit (167, 181). Ergo necesse est ut suprema potestas sit a Deo.

262. — *Scholium.* Vim hujus ultimæ probationis, fateor, ex parte declinant multi fautores contractus socialis, qui societati jus denegant infligendi pœnam capitalem, quæ tamen aliquando est unicum medium resarciendi et servandi ordinem socialem, ob truculentam feritatem quorumdam hominum; sed illi auctores manifeste opponuntur toti generi humano, ac proinde non sunt audiendi.

263. — THESIS II. *Deus, generaliter loquendo, non confert, per specialem actionem ab ordine naturæ diversam, supremam potestatem alicui subjecto.*

Nota. In hac re distinguendum est inter potestatem ipsam et subjectum hujus potestatis, seu eum qui potestate instructus est eaque utitur. De ipsa potestate locuti sumus in superiore thesi; nunc de modo quo transit in subjectum agemus.

Probatur. I° Si talis esset modus constituendi aliquem in regem aut supremum imperantem, de tali concessione constare deberet per revelationem, ac proinde principes et nationes hanc actionem Dei supernaturalem certo cognoscerent; agitur etiam de facto publico, illustri et quotidie iterato. Atqui, excepto populo Israelitico, nullum vestigium hujusmodi revelationis aut collationis reperitur. Ergo.

II° Societas politica ex una parte est ordinis naturalis, uti probavimus, et ex altera non potest concipi nec esse sine subjecto supremæ potestatis, quæ est pars formalis et constituens civitatis; atqui si supernaturali modo subjectum illud constitueretur a Deo, jam hæc pars formalis esset *supernaturalis* quoad modum (150), non autem naturalis, et exinde societas illa non esset ordinis mere naturalis, quod est falsum. Ergo.

264. — *Scholium.* I° Bossuet, in sua *Politica sacra* (1), sentire videtur modum eligendi reges apud populum Israeliticum esse universalem et omnibus nationibus communem : arguit etiam ex facto consecrationis

(1) Lib. III art.2.

Hazaelis in regem Syriæ per ministerium Eliæ prophetæ a Deo missi. Sed huic difficultati jam occurrit Suarez : « Hæc facta, inquit, fuerunt extraordinaria et supernaturalia quoad modum; juxta communem autem et ordinariam providentiam non ita fit, quia homines juxta naturæ ordinem, non revelationibus, sed naturali ratione reguntur in his quæ civilia sunt. (1) »

Scholium II. In sequenti capite de societate religiosa, ostendemus originem potestatis ecclesiasticæ esse diversam ab origine potestatis politicæ, et ideo præsentem thesim uberius probabimus.

265. *Corollarium.* Juxta auctores, de hac re rectius loquentes, suprema potestas in concreto spectata, a Deo procedit, ut auctore naturæ, siquidem, ut constat ex dictis, societas est factum naturale; porro cuilibet societati reali sive in fieri sive in facto esse spectatæ, præesse debet potestas, quæ in persona physice vel moraliter una resideat.

Jam ipse Suarez fatetur sententiam quæ docet auctoritatem in concreto, ac proinde prout inest, non modo toti communitati, sed etiam peculiari subjecto, esse immediate a Deo, communem esse : « In hac re communis sententia videtur esse, hanc potestatem dari immediate a Deo ut auctore naturæ, ita ut homines quasi disponant materiam et efficiant subjectum capax hujus potestatis : Deus autem quasi tribuat formam dando hanc potestatem... Sicut in matrimonio recte colligimus virum esse caput mulieris ex dono ipsius auctoris naturæ et non ex voluntate uxoris, quia licet ipsi voluntate sua matrimonium contrahant, tamen, si matrimonium contrahunt, hanc superioritatem impedire non possunt » (2). Licet directe loquatur de multitudine ut materia capace potestatis, tamen verba intelligi possunt indirecte de potestate in concreto.

266. — Thesis III. « ***Causa quæ primitus subjectum politicæ potestatis determinat, per se est prævalentia præexistentis juris domestici, per accidens vero est consensus*** (3). »

(1) Suarez, de Leg., lib. III c. 4, n. 2.

(2) *Idem, ibid.*

(3) Liberatore, Jus soc. c. III, n. 54.

Nota. I° Hanc sententiam non ambigue proposuit S. Thomas : « Regimen regis, inquit, super civitatem et gentem processit a regimine antiquioris in domo vel vico » (1).

Nota. II° Ab hac sententia, meo judicio, non valde discrepant de Haller et Taparelli : prior causam adæquatam determinationis subjecti videt in triplici suprematia naturali *Patris*, *Heri* et *Doctoris;* alter in facultate quæ exclusive alicui competeret ducendi societatem ad finem. In hac thesi causam primigeniam declaramus, sine tamen exclusione aliarum quæ potiori essent superadditæ.

Probatur I*a* *pars*, nempe *causam per se reperiri in jure domestico præexistenti.*

1° Id jam resultat, ut corollarium ex dictis de origine societatis. Etenim si origo societatis est propagatio familiarum ex eodem stipite, si gradatim ac naturæ cursu succrescit ex societate domestica, si non repentino concursu voluntatum, antea nullo vinculo sociali inter se copulatarum, coagmentatur, jam liquet 1° auctoritatem, seu vim quæ partes conjungit ad novum corpus morale efformandum, ipsi coagmentationi aliquo modo præesse debere in ratione auctoritatis, 2° potestatem illam, non ex voluntatis sociorum facto exsurgere, sed, natura ipsa duce, patri seu communis stipitis fonti devolutam esse, quod historia cæteroquin confirmat. Ergo, licet potestas politica sit in se diversa a potestate œconomica et patria capitis familiæ, tamen hæc potestas patris est aptitudo naturalis ac prolusio ad potestatem politicam.

2° Potestas politica nihil est aliud quam jus ponendi ordinem in multitudine, et officium providendi bono communi; porro potestas paterna hoc jure fruitur et illo officio tenetur erga propriam familiam, ac proinde hæc secunda potestas priori consimilis est; atqui dum familiæ succrescunt ac dilatantur ita ut consortium politicum efforment, potestas paterna in ipsas non inde destruitur; si igitur, multiplicatis familiis, remaneret communis illarum stipes, potestas paterna, quidquid sit de intima ejus natura, ita augeretur et exten-

(1) In 1. Politicorum I, 1a. lect.

deretur ut velut naturaliter appeteret potestatem politicam. Ergo causa quæ primitus determinat subjectum potestatis politicæ est prævalentia præexistentis juris domestici.

Probatur 2ª *pars*, nempe *causam per accidens esse consensum*.

1° Si causa *per se* est jus paternum, jam consensus nonnisi causa per accidens esse potest.

2° Origo societatis non est artificialis (231 240,) neque supernaturalis (237, etc.) ac proinde est mere naturalis, ideoque potestas concreta, quæ est formale principium societatis, est naturalis. Sed consensus non est elementum naturale societatis, siquidem est quid arbitrarium, penitus liberum atque indeterminatum quoad hunc vel illum terminum. Ergo nonnisi per accidens esse potest causa quæ determinat supremam potestatem.

267. — *Scholium*. In societatibus jam constitutis contingere posset ut, deficiente subjecto legitimo principatus, consensus sit medium unicum hic et nunc determinandi subjectum supremæ potestatis, nempe supremam potestatem in concreto. Diximus « deficiente subjecto *legitimo* », nam hic agitur de subiecto quod « jus » habeat ad supremam potestatem, quidquid sit de actuali possessione, quæ quidem potest injuste detineri ab usurpatore. Consensus præterea non esset medium legitimum determinandi subjectum supremæ auctoritatis politicæ, nisi casu quo jus a nemine retineretur. Sed hic agitur tantum de subjecto *primigenio*.

268. — *De translatione supremæ potestatis*. Potestas suprema semel adepta potest triplici modo de uno subjecto in aliud legitime transferri, nempe 1° hæreditate, 2° electione, 3° jure victoriæ in bello justo, non autem in latrocinio. Priores modi a legibus quibusdam fundamentalibus positive determinari possunt, quibus tunc nemini derogare fas est : conditiones ergo particulares constituere tum hæreditatis, tum electionis pertinet proxime ad jus positivum, licet jus naturale has conditiones innuat. Tamen notandum est quod hæreditas publicæ utilitati magis consulit, nam

subtrahitur materia discordiarum, quas dominandi libido excitaret, et rex futurus a teneris annis ad regium munus et officium eruditur (1).

De tertio titulo regiæ potestatis, seu de jure victoriæ nonnulla advertemus : 1° Quando regnum per solam vim injustam possidetur, evidenter non est vera seu legitima potestas in rege. Verumtamen in illo casu salus populi expostulat ut usurpator jure possit civitatem moderari, magistratus temporarios constituere et leges ferre, quibus subditi obtemperare tenentur; illud jus certo non est *personale*, sed *reale*, id est, personæ competit solummodo ratione rei seu boni publici; tunc enim verificatur adagium : *salus publica suprema lex.*

Sed 2° fieri potest ut successu temporis novus auctoritatis possessor ita obfirmetur, ut pristinus ordo redintegrari non possit sine maxima perturbatione et salutis publicæ periculo. Tunc hic victor *exclusive possidet media ducendi societatem illam ad debitum finem*, ac proinde nemo ei quodlibet jus opponere potest; nec plebi fas est, obsistere, quia ex hypothesi suam propriam perniciem quæreret; nec *antiquiori principi*, quia propriam utilitatem prosequeretur contra bonum publicum, et hoc esset illicitum et injustum.

Præterea 3° qui docent potestatem supremam a communitate proficisci, ratum habent titulum regiæ potestatis qui bello justo constat, quando populus consentit et admittit talem principem : « tunc reducitur potestas, ait Suarez, ad populi traditionem et donationem » (2).

269. Ostensa supremæ potestatis origine a Deo, ut auctore naturæ, hic, per modum corollarii, quæri posset *an liceat insurgere in Principem si tyrannice imperet*, nempe si non ad publicam, sed ad privatam utilitatem, administret : agitur ergo tantum de Principe qui jure imperium adeptus est atque nulli Principi superiori sit subditus, sed cujus tyrannis esset intolerabilis. Resp. Negative contra plures non tantum ethnicos et rationalistas, sed etiam christianos, v. g. Al-

(1) Vide *Principes du droit public*, sect. 3ᵉ c. 2.

(2) De leg. l. III, c. 4, n. 4.

mainum. Constat ex art. 17 Wiclefi damnato (1); deinde ex autoritate D. Thom. vel auctoris opusculi *de Reg. Princ.* c. VI. Ratio est quia non licet privatis civibus aut universo populo insurgere in Principem absolutum, etsi tyrannum, nisi habeat potestatem illum judicandi; atqui in regimine absoluto nec singuli cives nec populus talem potestatem habet, neque ordinariam, secus potestas hæc non esset a Deo, neque delegatam, quæ necessario descenderet vel ab ipso Principe vel a Deo (2). Igitur Ecclesia sola potest judicium ferre in hoc casu, ut potestatem habens ordinis superioris. Tamen non tenentur subditi observare leges manifesto injustas : et sic populus posset, etiam vi adhibita, omnibus actibus principis evidenter injustis obsistere, v. g. si princeps, pœnis adhibitis, juberet violationem legis naturalis vel divinæ positivæ. Hæc resistentia *passiva* licita est.

§ II. — De natura supremæ potestatis.

270. — Per naturam stricto sensu sumptam intelligimus ipsam essentiam, quatenus est principium operationum vitalium (I, 276); natura ergo habetur ut fons totius activitatis, itaque optime determinatur per facultates, quæ sunt principia immediata operationum. Ergo naturam supremæ potestatis, quæ est fons activitatis socialis, determinare oportet per principia immediata et necessaria quibus operatur, nempe per suas diversas facultates seu *functiones*.

Jam vero ut potestas suum finem obtinere possit, debet per suas facultates naturali activitati hominis adæquate respondere : par enim esse debet ad attingendum finem societatis completæ (179). Necesse est igitur 1° ut ordinem producat in elementis socialibus, nempe ut societas accipiat ab ipsa suum modum essendi et existendi : et causa quæ præcise hunc modum producit ac determinat, vocari solet *potestas constituens*; 2° debet omnibus media ad finem idonea ostendere et imponere : hinc *potestas legislativa*, 3° debet efficaciter executionem mediorum, facultate le-

(1) Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere, aiebat Wiclefus.

(2) Roselli, Compend. phil. p. 4ª q. 13, a 5.

gislativa ostensorum, procurare; hinc *potestas executiva*. Potestas constituens in societate ipsi vitæ in individuo physico respondet; potestas legislativa intellectui et voluntati, seu parti intellectuali; potestas executiva, facultatibus vim movendi habentibus. Inde toti activitati humanæ respondet (1).

I. De potestate suprema quatenus constitutiva societatis.

271. — Modus fundamentalis quo diversa elementa ad unitatem rediguntur, seu medium quo ipsa unitas organica obtinetur, generatim appellatur *constitutio societatis*; est ergo veluti substantialis forma societatis. At hæc constitutio, quatenus concipitur non abstracte, sed in concreto, videlicet coadunat et disponit elementa essentialia societatis, est veluti facultas seu vis quæ formam præstat toti corpori sociali, organa essentialia auctoritatis supremæ, puta formam condendi leges, plasmat; igitur idem est ac *potestas constituens*. Consistit ergo in peculiari dispositione potestatis legislativæ cum suis functionibus particularibus, et potestatis executivæ cum suis elementis necessariis, nempe potestate judiciaria et coercitiva.

Potestas constituens anterior est logice potestate legislativa et executiva; esse enim concipitur ante operationem; differt etiam ab eis, quatenus per propriam et liberam voluntatem subjectum supremæ potestatis leges fert et exsequitur, dum jus constituens magna ex parte non procedit ex libera voluntate auctoritatis civilis : assimilari enim posset vi vegetativæ in corpore humano, qua vis intrinseca ac vitalis, ope agentium externorum, debitam molem et formam impertitur huic corpori. Quapropter vis constituens, non eodem omnino sensu dicitur potestas atque potestas legislativa et executiva, neque realiter et adæquate ab illis facultatibus supremæ auctoritatis distinguitur.

272. — Hinc potestas constituens nonnullis legibus physicis et moralibus obnoxia est quod quibusdam legibus libertatem humanam prævertentibus subjaceat, sedulo notandum est, nostris præsertim temporibus,

(1) Vide *Principes du droit public*, sect. II, c. 1.

in quibus constitutiones scriptæ copiose pullulant cum maximo detrimento societatis politicæ.

I *Leges physicæ* vocari possunt omnia facta naturalia necessaria aut accidentalia, interna vel externa, quorum sub influxu talis natio in suo esse politico constituitur : facta interna jam sunt adeo numerosa, disparata et improvisa, ut nulla vis humana ea possit pro arbitrio moderari et coercere : facta externa, nempe ab actione aliarum nationum et a jure internationali enascentia, potestatem constituentem potius regunt quam ab ipsa regantur; gradatim sub influxu illorum factorum utriusque ordinis succrescit forma constitutiva alicujus societatis.

Ergo leges physicæ quibus potestas politica, in concreto spectata, talem formam accepit, a speciali Dei providentia maximopere pendent, et complexim spectatæ actionem liberam hominis penitus fugiunt.

II. *Lex moralis* primaria potestatis constituentis, si lex appellari potest, est vera subjectio legi fundamentali, quæ est velut *resultantia* omnium legum physicarum, ac proinde prosecutio finis socialis secundum hanc legem.

Lex ergo fundamentalis potestatis constituentis est hæc prosecutio unitatis intellectualis, moralis et politicæ, applicando leges æternas justitiæ et humanitatis legibus physicis quæ ad talem nationem constituendam concurrunt; unio intelligentiarum, in veritate; unio voluntatum, seu moralis, in justitia et prosecutione boni communis; unio politica, seu personarum, et unio materialis, in harmonica dispositione omnium functionum politicarum juxta indolem tali nationis..

Ex dictis infertur alia lex moralis : immutatio in aliqua parte vere essentiali constitutionis fieri nequit a supremo imperante, saltem sine consensu multitudinis, scilicet alterius elementi hujusce societatis; aliter dicendum est, si ageretur de aliqua perfectione in organis, seu partibus accidentalibus, introducenda.

II. De potestate legislativa.

273. — Potestas legislativa est facultas proponendi obligatorio modo quæ ad societatis finem sunt necessaria.

Potest evidenter auctoritas suprema ferre leges et adigere omnes subditos ad illarum legum exsecutionem. Etenim determinatio mediorum ad finem necessariorum nequit singulis civibus relinqui, quin unitas socialis destruatur : nam diversitas intellectuum, voluntatum inconstantia et cupiditatum æstus ad media disparata, inter se pugnantia, ducerent, et ideo non amplius haberetur hæc unio intellectuum, voluntatum et virium, quæ est societati perfectæ necessaria.

Ergo necessaria est potestas aliqua, quæ jus habeat designandi media, atque omnes ad eadem adhibenda obligandi, seu potestas legislativa. Nunc quo ambitu possit hæc potestas legifera civilis exerceri, quærendum est :

274. — Thesis. *Potestas legifera civilis nequit media mere interna, neque etiam externa, quæ ad ordinem superiorem pertinerent, præscribere.*

Nota. Hic non affirmamus leges civiles conscientiam ipsam indirecte non adstringere, quod falsissimum foret, quia auctoritas civilis est a Deo : sed agitur de materia legis, et quæritur utrum lex civilis possit præscribere actus mere internos.

Probatur 1ª *pars.* 1º Actio legislativa potestatis civilis respicit homines; atqui actus interni humanam aciem prorsus effugiunt. Ergo potestas legifera mere humana nequit præcipere actus pure internos.

2º Media debent esse ad finem proportionata, ideoque leges quæ media determinant, debent fini sociali respondere; atqui finis societatis civilis est ordo exterior et sensibilis, quem actus mere interni nullatenus procurare possunt, quique proinde ad finem socialem manifesto non sunt necessarii. Ergo potestas legifera civilis, quæ media mere interna præscriberet, aliquid nefarii in suos subditos faceret, quippe cum esset præscriptio onerosa plane inutilis.

Aliis verbis, fundamentum potestatis quam pro sua natura societas habet exigendi aliquid a suis, situm est in necessario nexu cum ipsius societatis fine; atqui actus mere interni nullam relationem habent cum fine sociali. Ergo extra ambitum potestatis civilis reponuntur.

Probatur 2ª *pars*. Lex est propositio alicujus medii positivi vel negativi obligatorio modo, et ad rationis, inde et ordinis, normam facta. Atqui ordini et rationi repugnat ut ea quæ ad superiorem ordinem pertinent, quisque inferior determinet : id enim importat ordinis superioris perturbationem; ac proinde ordo superior tunc fieret obnoxius ordini inferiori, quod manifestam involvit absurditatem. Ergo potestas legifera civilis nequit etiam media externa præscribere quæ ad ordinem superiorem natura sua pertinerent.

275. — *Corollarium*. Ergo potestas civilis immiscere se nequit iis quæ relationes respiciunt hominis ad Deum, quæque proinde sunt potestatis religiosæ : finis potestatis civilis *proprius et directus* est politica felicitas communitatis; itaque illa potestas ad res spirituales non extenditur. Potest tamen et debet auctoritas civilis, præsertim in principibus fidelibus, ita exerceri ut ejus usus dirigatur ad subditorum bonum, etiam *spirituale* et *æternum*, quod fieri potest dupliciter : 1° *negative*, seu per circumspectionem nihil statuendi quod sit contrarium fini supernaturali; et hæc ordinatio negativa est de præcepto ; 2° *positive*, et hæc positiva directio est tantum de consilio, etiam in principibus christianis et catholicis, nisi necessitas vel præceptum speciale hanc ordinationem postulet.

276. — *De potestatis legiferæ et legum dotibus*. Ditioni potestatis civilis ergo subduntur ea quæ externa sunt et civium relationes inter se intuitu finis communis assequendi respiciunt ; imo et pœnis sancire quit eadem potestas præceptiones juris naturalis et divini positivi. Hæc potestas, dum in suorum limitum naturalium ambitu spatiatur, debet etiam ita constitui ut præ se ferat quasdam dotes necessarias, nempe *solertiam*, *æquabilitatem* et *honestatem*.

1° Sine solertia legislator non enucleate dispiceret finem socialem, ideoque viam illuc ducentem multitudini ostendere non valeret : id importat quasdam cognitiones tum speculativas, puta boni et ordinis socialis in genere, mediorum ad hunc finem idoneorum, juris sive naturalis sive divini positivi, quod ne offendat, cavere debet potestas publica, etc., tum practicas, scilicet hujusce societatis, quam moderari debet, ejus

elementorum, etc. 2° Sed non sufficit recta cognitio bonitatis legum ferendarum; requiritur etiam ut hæc cognitio sine ulla deflexione exterius traducatur : quod importat 1° sinceram voluntatem leges illas ferendi, seu æquabilitatem; 2° ut nihil immutet, restringat aut deturpet illam cognitionem et volitionem : hinc probitas.

Potestas constituens tali organismo ornare debet potestatem legislativam in concreto spectatam, ut hæc natura sua semper recte cognoscat, recte velit, recte operetur. Talis ergo esse debet structura hujus potestatis, ut nonnisi per homines scientia et virtute ornatos ex toto vel ex parte exerceatur.

277. — *Ad dotes*, quibus potestatis legiferæ effectus seu leges ornari debent, quod attinet, illæ proficiscuntur ex dotibus ipsius legislatoris :

1° Debent esse *justæ et honestæ :* quod est intrinsece malum eo ipso prohibetur a lege naturali, ac proinde a Deo, ut est auctor hujusce legis : quod jus divinum positivum lædit, nequit habere valorem ad obligandum, quia homines obligari nequeunt simul ad agendum et non agendum aliquid. Itaque lex humana quæ esset injusta et inhonesta, non esset lex.

2° Lex debet ferri *propter bonum commune :* leges enim communitati imponuntur, ideoque propter bonum communitatis ferri debent, uti superius (112) ostendimus. Alias lex quæ in bonum commune non ordinaretur, careret fine sufficienti, ac proinde esset actus irrationalis.

3° Debent esse *universales*, seu ejusmodi ut omnes æque ligent sine personarum acceptione, modo tamen non adsit jus firmius quod nonnullos excipere persuadeat : lex enim fertur pro ipsa communitate, ac proinde ad singulares personas ordinem dicit, ut sunt partes communitatis. Inde est quod lex, juxta plures, ipsum legislatorem, saltem ex aliqua ratione æquitatis, licet non ex stricta obligatione, ligaret, quando ipse ut privata persona consideratur, et in conditionibus a lege intentis forsan reperitur.

4° Debent esse *perpetuæ*, non tamen in hoc sensu quod revocari nequeant, sed quod moralem perpetuitatem habeant, seu stabilitatem : semel lata, semper

durat donec yel revocetur, vel materia ejus aut causa ita mutetur, ut justa vel possibilis esse desinat. Lex fertur pro communitate, quæ de se perpetua est, et propter bonum commune, quod etiam est stabile.

5° Denique leges debent *promulgari*, ita ut earum notitia ad omnes moraliter pervenire possit. Cum lex feratur pro aliqua communitate, est veluti vox publica legislatoris per se vel per alium suas voluntates renuntiantis. Certus tamen modus illius publicæ manifestationis non est ex natura rei assignatus, sed ab ipsomet legislatore præscribendus est, quia non potest aliunde determinari.

Modus erit sufficiens si legis notitiam diffundere ad omnes *moraliter* valeat, præsertim si legislator nequeat omnes *physice* attingere per hanc promulgationem.

Prima legis in publicum propositio *authentica* esse debet, nempe tali modo facta, ut in dubium revocari non possit eam ab illo prodiisse, in quo societatis potestas residet. Sed non requiritur ut legis *propagatio* sit authentica, nempe ut modo authentico ad cognitionem omnium et singulorum deveniat, nam ex parte subditorum vera existit obligatio leges cognoscendi ac sciscitandi.

6°Ut lex civilis vim obtineat, non requiritur *acceptatio populi*, nisi saltem fundamentalis constitutio id expresse poscat. Hæc assertio est corollarium manifestum ex superius dictis de origine supremæ potestatis; id inficiari unice possunt fautores contractus socialis.

III. De potestate executiva.

278. — Ut societas finem suum attingat, non sufficit potestas legislativa; nam finis nonnisi per actiones obtinetur : porro inter aliquam præscriptionem generalem abstractamque, qualis est lex, et operationes individuas et concretas, nullus datur nexus intrinsecus, nullumque vinculum physicum; imo inter utramque intercedit libertas humana, quæ physice potest legislatori obedientiam denegare, et ejus magisterium speculativum a se pellere. Itaque, si suprema auctoritas potestate exsequendi, et quidem vi adhibita, orbaretur, societas ipsa esset nutans.

Debet igitur potestas suprema efficaciter attingere in

ordine concreto id omne quod ad bonum ordinis civilis spectat, ac proinde *personas* et *res*. Jam vero ut hanc efficaciam nanciscatur, vi morali quæ in voluntates dominatur, et vi physica quæ in corpora et bona operatur, perfrui debet. — Vis illa moralis quæ est jus, appellatur *potestas judiciaria*; vis physica in corpora et bona, dicitur *potestas coactiva;* prout speciatim bona regit, non quidem coacte sed pacifice, est *potestas administrativa*, et prout personas moderatur , dicitur *gubernium*, quod non raro in sensu latissimo sumitur pro complexu omnium potestatum regendi rempublicam. Itaque gubernium respicit personas; administratio, res; potestas judiciaria est jus individuis applicatum; potestas coactiva respicit factum juri respondens vi physica obtinendum.

279. — 1° *Potestas judiciaria* efficere debet ut media proposita applicentur juxta eum modum ac sensum quo per potestatem legislativam sunt proposita. Duo ergo habet munera : nempe legum interpretationem et applicationem, et ideo lites definire debet ad normam legum constabilitarum.

Exercetur hæc potestas per judicium, quod definiri solet : *legitima controversia quæ inter actorem et reum agitatur, quæque per judicem cognoscitur, discutitur et definitur*. Ad judicium ergo tres principales requiruntur personæ : *judex*, *reus*, seu ille qui juris læsi insimulatur, et *actor*, nempe is qui jus læsum redintegrare poscit, qui tamen aliquando, seu in causis criminalibus, est ipse judex. Crimina enim ipsi ordini civili perturbationem inferunt, ac proinde eorum inquisitio, non minus ac castigatio, ad auctoritatem huic ordini servando advigilem spectare debet. — In judicio sic sumpto ipsa controversia nomen *litis* accepit; *causa* est jus ipsum controversum; si illud jus in judicium non defertur, dicitur *quæstio*. Per *instantiam* intelligitur litis motæ exercitatio intra certum tempus absolvenda. Plures sunt generatim instantiæ, quia bono societatis expedit ut læsus possit in integrum restitui, quod quandoque nonnisi per plures instantias obtineri potest; judices enim sunt fallibiles.

Ordo judiciarius est vel *naturalis* vel *civilis :* naturalis consistit in cognitione causæ, iisque omnibus quæ ad

hanc cognitionem sunt necessaria, et in sententia ejusque exsecutione; civilis ordo in formalitatibus a lege positiva præscriptis consistit. Cognitio causæ, quam ordo naturalis postulat, sita est 1° in petitione actoris, 2° in citatione et exceptione rei quoad jus aut factum, 3° in probationibus earumque refutationibus, quoad res patitur : nemo enim debet condemnari, nisi se defendendi copiam habuerit.

Judicium dividi solet 1° ex diversitate materiæ in *petitorium* et *possessorium*, prout agitur de proprietate vel possessione.

2° Ratione finis, in *civile* et *criminale*, prout versatur vel in juribus civium quæ inter se collidi forte viderentur, definiendis, vel in delictis et criminibus dijudicandis et conveniente pœna puniendis. Criminale est actum vel *civiliter*, si is qui litem movet, suam propriam utilitatem et securitatem quærit, vel *criminaliter*, si ad vindictam publicam delicti tendat.

280. — Potestas judiciaria tali instructa esse debet organismo ut 1° ad eam facilis aditus pateat, 2° ut periculum erroris tum juris tum facti quam maxime removeatur, 3° ut brevissimo tempore lis finiatur, 4° denique ut minimum damnum parti quæ succumbit, inferatur : hæc ultima conditio etiam in criminalibus generaliter loquendo, reperiri debet. Justitia vindicativa utique debet læsum ordinem restaurare, atque damnum et dolorem ob actionem turpem rependere; sed defensio ordinis publici et vindicta publica per pœnas mites obtineri potest.

Hic animadvertendum est effectum pœnæ triplicem esse debere : læsi ordinis restaurationem, nocentis emendationem, exemplum pro omnibus. Itaque pœnæ esse debent *reparatrices*, *medicinales* seu *emendatrices* et *exemplares*. Has conditiones evidenter postulat bonum societatis.

281. — 2° *De potestate coactiva.* Potestas judiciaria, non secus ac legislativa, est *mere directiva*, cum hoc discrimine quod individua ipsa et bona singillatim regat; vim moralem utique adhibet, et ignorantiam legis pellit; sed hæc vis malitiam efficaciter cohibere nequit. Ejus ergo judicia exsequitur potestas coactiva, quæ contumaces, vi externa ac physica adhibita, coer-

cet, et exinde efficaciam dat potestati legiferæ et judiciariæ.

Hinc potestatis coactivæ naturale fundamentum est necessitas tutelæ ordinis socialis, ne finis consecutio reapse impediatur. Itaque exercetur 1° in omnes qui opere et malis exemplis ordinem socialem turbant, etiamsi id vitio naturæ tantum fiat, ut accidit in dementibus; 2° in illos homines de quibus certitudine quadam morali judicari potest eos socialem ordinem turbaturos esse.

Medium quod adhibet ad conservationem ordinis est pœna. Pœna est malum passionis aut privationis, delicti causa, etiam in invitos auctoritate publica inflictum, ut omnes a perturbando ordine sociali deterreantur. Debet ergo mensurari a necessitate finis, ac proinde talis esse, quæ ad finem certo ducat.

282. — 3° In *administratione* et *gubernio* reipublicæ, supremus imperans veram realemque societatis perfectionem intendere debet. Porro, sicut in homine duo principia interna reperiuntur, nempe *ratio* et *sensibilitas*, quibus homo movetur, ita etiam in societate, duplex motator seu instigator invenitur, nempe ratio seu *bona ordinis moralis*, et sensibilitas, seu *bona ordinis materialis*. Quando appetitus bonorum materialium, seu sensibilitas, prævalet, societas, non secus ac individuus homo, est corrupta; si bonis ordinis moralis magis propendet, erit honesta, seu morum emendatiorum.

Quibus de causis gubernium debet, quoad potest, studium bonorum moralium promovere, seu societatem a sensibilitate ad rationem sensim attollere, etiam motivis sensibilibus adhibitis, intuitu finis superioris. Administri ergo qui bonis materialibus procurandis unice addicti sunt, *empirice* gubernant; qui e contra ordini morali promovendo incumbunt, recte et ad normam honestatis ac rationis populum regunt.

IV. De variis functionibus politicis ad invicem.

283. — Multi legistæ, post Montesquieu, separationem functionum politicæ potestatis magno verborum strepitu poscunt, ut conditionem necessariam ad tyrannidem vitandam. Sed hic distinctione uti oportet

inter ipsum jus seu potestatem et exercitium juris ac potestatis, firmo remanente principio quod in regimine monarchico potestas legislativa soli regi conveniat.

1° Quoad exercitium, illæ functiones diversa subjecta exigunt : nam generatim diversæ operationes diversa instrumenta requirunt, quibus exerceantur. Præterea dotes ad diversa hæc munia gerenda in eodem subjecto difficillime cumularentur. Ergo commodius est ut diversæ functiones per diversa subjecta exerceantur, seu ut diversi homines ad diversas functiones politicas deputentur.

2° Jus supremum ex quo functiones illæ dimanant, unitatem subjecti postulat, secus unitas socialis, saltem realis et concreta, destrueretur. Unitatis enim in concreto spectatæ fons et principium est auctoritas (246); atqui auctoritas per se et concrete una non esset, si subjectum unum non informaret, siquidem non est concreta nisi in subjecto. Quibus de causis ex natura societatis proxime consequitur ut jus gubernandi penes aliquod subjectum resideat, quod physice vel moraliter sit unum : quod funditus evertit hypothesim prædictorum legistarum qui non modo volunt ut diversæ personæ deputentur ad diversa officia, sed etiam ut functiones politicæ, puta potestas legislativa et potestas executiva sint jura diversa, suprema et independentia in diversis subjectis. Inde politici recentiores tribuunt in regimine monarchico potestatem legislativam populo et executivam regi, contra principium : *Ad illum pertinet condere legem, ad quem pertinet ordinare ad bonum commune;* unde in doctrina politicorum nostræ ætatis sequeretur vel quod rex nequeat ordinare ad bonum commune, vel quod lex non sit amplius ordinatio rationis ad bonum commune.

3° Hæc separatio si obtineri posset, utique medium efficax foret ad aliquem tyrannum evertendum, et ad consilia quæ contra societatem nefande molirentur, cohibenda, aut saltem eis moram objiciendam; sed de se est medium subversionis, quod præsertim valet ad principem cordatum et boni publici amatorem in justitiæ et bonorum moralium prosecutione perpetuo in suis viis irretiendum.

§ III. De variis formis regiminis.

284. — Potestas, quæ in se spectata est complexus jurium quæ cuilibet societati perfectæ pro ejus natura competunt, in subjecto aliquo residet.

Illud subjectum esse potest vel persona physica, seu homo individuus, vel persona moralis, seu cœtus plurium qui in unum conveniunt. Porro ex hac diversitate subjecti supremæ auctoritatis, oriuntur diversæ formæ regiminis, quæ proinde, respectu ipsius potestatis, seu hujus complexus jurium, sunt aliquid accidentale : huic potestati nihil additur, nihil demitur per numerum majorem aut minorem hominum qui illam possident.

Præterea etiam respectu finis socialis, generatim loquendo, bonitas gubernii non absolute pendet e forma regiminis, quia hæc forma est purum instrumentum cujus bonitas vel malitia manat ex honestate utentium. Ergo hæc diversitas formarum est aliquid accidentale : itaque, licet ipsa potestas politica sit a Deo, tamen ejus determinatio ad certum modum regiminis est ex arbitrio humano.

Disceptatio ergo de variis formis gubernii logice venit post explorationem supremæ potestatis in se et absolute spectatæ.

285. — Plato (1) et Aristoteles (2) jam docebant tres esse formas simplices rectæ gubernationis, nempe *monarchiam*, *aristocratiam* et *democratiam*. Si enim multitudo gubernanda est, fieri non potest quin uno aut altero ex hisce tribus modis gubernetur : aut unus præficitur, et tunc monarchia erit; aut aliqui de multis, quo casu habetur aristocratia; aut denique omnes omnino, et tunc regimen est democraticum.

Sed istæ formæ possunt inter se quasi permisceri, ex qua permixtione oriuntur formæ mixtæ, quæ proinde ex simplicium, aut omnium, aut duarum junctione resultant; sic non habetur nisi quædam forma aristocratiæ in hodierno *parlamentarismo*, ut aiunt, quo quidam conventus seu senatus a populo electus supremam ob-

(1) In Polit. 7.

(2) Polit. l. III, c. 5.

tinet potestatem, ita tamen ut apud se retineat et per se exerceat tantum legislativam potestatem, delegata uni vel pluribus potestate exsecutiva. Hæc forma nullo modo conciliari potest cum monarchia, siquidem tota suprema potestas est in senatu (assemblée, parlement), et ipsa potestas executiva quæ sola remanet penes regem, subjicitur huic senatui, qui suis suffragiis approbat vel improbat actus prædictæ potestatis, quæ parere debet; quocirca officium resignare debent illi regis ministri qui in modo gubernandi vituperatione senatus solemni reprehenduntur. Inde rex modo subordinato tantum posset suam auctoritatem exercere, et ideo non esset supremus imperans.

286. — Thesis I. *Absoluta consideratione, ex formis simplicibus præstantissima est monarchia pura; tamen, propter humanæ naturæ corruptionem, aliquando utilius est regimen ex omnibus tribus formis temperatum.*

Probatur 1ª *pars.* Illa forma regendæ multitudinis est melior quæ 1° commodius et facilius propositum finem assequitur, atque 2° potentiorem et fortiorem rempublicam facit.

Atqui id competit potissimum monarchiæ : etenim 1° finis gubernationis est civium conjunctio et pax, seu unitas intellectuum, voluntatum et virium; sed in monarchia unitas firmior vi regiminis obtinetur.

2° Major conjunctio virium fortiorem rempublicam facit; sed conjunctionem firmiorem præstat natura sua monarchia. Itaque absoluta consideratione monarchia pura cæteris omnibus formis antecellit.

Id confirmatur 1° ex gubernatione et providentia totius universi, quam oportet esse optimam; porro hæc gubernatio est monarchica; 2° exemplo Christi in institutione Ecclesiæ, cujus regimen est monarchia.

Probatur 2ª *pars.* Eo utilior est forma quo subditis gratior fit et abusuum pericula magis removentur; sed monarchia, aristocratiæ et democratiæ admixta, generatim est gratior, quippe cum omnes illud genus regiminis magis ament cujus participes esse possunt; deinde in temporibus corruptionis populorum et principum magis removet abusuum pericula, quia consi-

lio plurium utitur et quibusdam limitibus ratione cujusdam veluti conflictus inter diversos potestatis ministros, coercetur (1).

287. — *Scholium.* Monarchiæ contrarium vitium est tyrannis; aristocratiæ, oligarchia, quæ est factio paucorum; democratia non raro in seditiones et perturbationes politicas degenerat : verum democratia pura non est nisi forma mere theoretica, cum homines in societate civili constituti nequeant simul esse imperantes et subditi.

288. — Thesis II. *Pro determinato populo forma illa est præferenda quæ præ cæteris aptatur consuetudinibus et indoli hujusce populi.*

Nota. Id unanimi consensu docent omnes auctores, aliis in rebus inter se alioquin discrepantes.

Probatur 1° Ex ipsa experientia ostendente diversas gentes sponte naturæ illas formas appetere suæ indoli magis respondentes.

2° Ratio agendi quæ uni homini convenit, illumque adduceret ad pleniorem perfectionem, si aliis imponeretur, eisdem nocere posset illosque deprimere : homines enim diversi diversa ratione ducuntur, diversis motivis particularibus ad agendum moventur, diversis adminiculis fulciuntur. Itaque non eodem modo reguntur tum seorsim sumpti, tum in societate coadunati. Ergo forma gubernii aptior illa est quæ cum indole talis gentis magis congruit.

289. — *Scholium.* Forma regiminis quæ jam apud populos invaluit et legitimitate gaudet ac in subjecto certo residet, est pro illis aptior, quia paci et stabilitati ordinis magis consulit : obedientia enim non ad incertum, ac proinde diversum pro diversis subditis, sese fert, quando subjectum in quo jus imperandi residet, est certum. Tunc nullum exsurgere potest honestum desiderium novæ formæ regiminis, cum forma existens pro se jus habeat, nullaque inquisitio subjecti particularis institui potest, cum subjectum non sit incertum.

(1) Bellarm. de Rom. Pont. l. I, c. 1-4.

CAPUT III.

DE SOCIETATE RELIGIOSA.

In hoc capite agemus 1° de societate religiosa in se spectata; 2° de suprema potestate ecclesiastica.

ARTICULUS I.

De societate religiosa in se spectata.

290. — Societas religiosa, seu Ecclesia, potest considerari : 1° quoad suum *statum internum*, nempe quoad internam structuram quam a suo fundatore accepit; 2° quoad *statum externum*, scilicet quoad necessarias relationes quas habet cum aliis societatibus. Equidem istæ relationes externæ ad conceptum alicujus societatis natura sua universalis pertinent, quæ in sua materiali diffusione omnes gentes omniaque regna ac singulos homines complectitur, aut complecti debet. Inde fit ut subjectum Ecclesiæ identicum sit cum subjecto aliarum societatum; ergo, vi illius identitatis subjecti seu subditorum, societas religiosa necessarias habet relationes cum diversis societatibus. Ecclesia igitur non potest in concreto considerari quin oculis affulgeat ejus status externus, neque dilucide cognosci quin hic duplex status expendatur.

§ I. De statu interno Ecclesiæ.

291. — Licet Ecclesia sit ordinis supernaturalis, tamen homo natura sua ad hanc societatem aliquo modo ordinatur : cum enim anima humana sit immortalis et bona alterius vitæ, nempe suum finem ultimum, sponte naturæ appetat, qui limites et facultates societatis civilis longe prætergreditur, necesse est ut homo media et auxilia idonea inquirat ad assequendum suum fifinem ultimum, nempe Deum ipsum; sed societas quæ hæc media et auxilia suppeditat, religiosa appellatur, quia ejus objectum est religio (150), et est ipsa Christi Ecclesia.

Si religio esset mere naturalis, societas religiosa ipsa naturalis foret; si autem religio, quæ a Deo ipso proponitur ut unicum medium salutis, est supernatu-

r..'s, ipsa societas religiosa erit supernaturalis. Supponimus hic ex theologia constare religionem christianam esse divinitus revelatam et unicum medium salutis, et Christum, filium Dei unigenitum, suam Ecclesiam ordinasse. Ex hoc facto exordimur ad conceptum societatis religiosæ philosophice evolvendum. Considerabimus in præsenti paragrapho essentiam Ecclesiæ et elementa quibus constituitur.

292. — Thesis I. *Societas religiosa est homini præ civili necessaria.*

Probatur. 1° Ex superius dictis de necessitate revelationis, etiam quoad ea quæ spectant ad legis naturalis cognitionem. liquet omnes homines illius revelationis notitia, physice vel moraliter indigere; porro revelatio hominibus non communicatur nisi per societatem religiosam, quæ officium habet ducendi omnes homines ad salutem æternam. Ergo hæc societas est homini necessaria, et quidem præ civili.

2° Homo eo magis indiget auxilio aliorum quo bonum quod appetit, est nobilius et ulterius; atqui bonum quod constituit finem societatis religiosæ est bono communi quod prosequitur societas civilis, ulterius et longe nobilius : est enim felicitas æterna. Ergo.

3° Si nunc speciali modo attendamus quod finis ultimus hominis sit supernaturalis, et media ad ipsum ordinata solius Ecclesiæ propria, sole clarius constabit hominem absolute indigere auxilio Ecclesiæ. At societas civilis non est homini absolute necessaria, licet utilissima. Ergo.

293. — Thesis II. *Ecclesia est societas visibilis et perfecta.*

Probatur 1ª *pars.* 1° Si Ecclesia non esset societas *externa et visibilis*, profecto nec societas realis et humana foret : homines enim non sunt puri spiritus, qui sine ullis signis sensibilibus, consociari possent, seu inter se communicationes mutuas habere. Itaque si in societatem aliquam conveniunt, necesse est ut hæc societas sit externa et visibilis, media sensibilia adhibeat, etc. Atqui Ecclesia est societas realis, ut constat 1° ex facto, 2° ex positiva Christi institutione, qui illi formam

determinatam dedit, 3° ex absoluta ejus necessitate pro omnibus et singulis hominibus. Est societas humana : agitur enim de hominibus, et quidem in statu viæ ac proinde constantibus corpore et animo. Ergo.

2° Cultus debet esse externus et publicus (144; 145); atqui cultus ad societatem religiosam pertinet. — Ergo et hæc ipsa societas externa et visibilis esse debet.

Probatur 2ª *pars*. Societas dicitur *perfecta* quæ 1°, positive, est in se definita et completa, ac proinde media ad suum finem obtinendum sufficientia in semetipsa habet, et 2°, negative non est membrum alterius societatis nec cum alia confusa : sub priori respectu considerata debet ergo sua media proprio ac originario jure possidere, ita ut eadem ab alia societate nullo modo recipiat. Jamvero Ecclesia, quæ est societas natura sua suprema, et ad aliam quamcumque non ordinatur, media ad finem consequendum necessaria habere debet; si est suprema, ad aliam evidenter non refertur, seu non potest aliis subesse; si nullo modo ad aliam ordinatur, jure proprio et originario sua media possidet.

Atqui Ecclesia est societas suprema, quia finis ejus est supremus, qui est adeptio vitæ æternæ, seu finis ultimus ipsius hominis, cui alii omnes fines ordinantur. Ergo societas ecclesiastica ad aliam non revocatur, ac proinde in semetipsa habet media ad suum finem consequendum necessaria.

294. — *Corollarium*. Ergo societas ecclesiastica jus habet possidendi bona temporalia. Nulla enim potest dari societas externa et visibilis quin ipsi competat jus stabile proprietatis bonorum temporalium : Bona enim temporalia Ecclesiæ necessaria sunt, tum 1° ad cultum publicum promovendum, tum 2° ad sustentationem ministrorum cultus, tum denique 3° ad opera charitatis et pietatis. Porro hæc tria ita cum missione propria Ecclesiæ cohærent, ut sine stabili possessione bonorum temporalium, hæc societas non possit incolumiter et pacifice subsistere.

295. — Thesis III. ***Ecclesia est societas realiter distincta a societate civili, eaque longe excellentior.***

Probatur 1ª *pars*. 1° Id jam fluit ut corollarium ex superiori propositione; nam si Ecclesia est societas com-

pleta et perfecta, certo non erit pars alterius societatis.

2° Societates quarum fines sunt diversi et elementa diversa, profecto inter se differunt : cujuslibet enim societatis ratio inde dimanat ut homines, collatis viribus, quædam bona, ab omnibus legitime expetita, acquirant, quæ singuli seorsim sumpti consequi non valerent. Atqui bona quæ constituunt finem Ecclesiæ sunt diversa a bonis in quorum possessione reponitur finis societatis civilis; Ecclesia enim prosequitur bona æterna; finis societatis civilis temporali felicitate continetur.

3° Membra Ecclesiæ sunt homines per totum orbem diffusi, dum membra societatis civilis sunt homines determinatæ regionis. Ergo etiam ratione subditorum datur inter utramque societatem distinctio.

4° Media societatis civilis sunt mere naturalia, dum media, saltem essentialia, societatis religiosæ sunt supernaturalia. Ergo istæ societates certo inter se differunt.

Probatur 2ª *pars*. Societas illa est nobilior cujus finis est altior, media nobiliora, extensio major; atqui Ecclesia sub hoc triplici respectu societati civili præstat, ut constat ex dictis (292, etc.) Ergo Ecclesia est societas nobilior societate civili.

296. — *Scholium*. Ex dictis etiam elucet legitimas omnes societates duabus quæ maximæ sunt, contineri, Ecclesia ipsa et societate civili (1), nam bona quæ ab hominibus legitime expetuntur, esse non possunt nisi vel æterna vel temporalia. Sequitur præterea Ecclesiam esse independentem a societate civili.

297. — *De organica Ecclesiæ constitutione*. I. Fundamentalis Ecclesiæ constitutio venit a Christo, ac proinde est divina et immutabilis; est tota supernaturalis, ideoque finem habet supernaturalem, media supernaturalia, imo et principium internum, a quo veluti informatur, supernaturale. Qua de causa, dicunt Theologi Ecclesiam ad instar individui physici constare anima et corpore, nempe parte invisibili, vivificante et informante, quæ est omnis operatio invisibilis et supernaturalis Dei ad extra intuitu sanctificationis hominum, — et parte visibili, externa et vivificata, id est, cœtu fidelium et mediis sensibilibus.

(1) P. Tarquini, Jus eccl. publ. sect. 2ª, art. 2°.

Principia hæc supernaturalia, nempe virtutes Theologicæ et dona Spiritus Sancti, cum omnibus gratiis internis, una cum activitate naturali hominis, constituunt in singulis membris fontem adæquatum operationum socialium, quæ proinde etiam *ratione principii subjectivi* toto cœlo differunt ab operationibus socialibus in ordine civili. Hæc duo elementa constituunt veluti essentiam physicam Ecclesiæ.

Inter animam et corpus Ecclesiæ datur *commercium* : anima corpus vivificat et corpus in animam quodam modo reagit, non secus ac in humano individuo. Inde exsurgit activitas seu vita supernaturalis, tum interna, tum externa.

II. Ab ipsa essentia dimanant quædam proprietates essentiales, quæ sunt : 1° *unitas*, quia Christus unicam fundavit societatem, quæ perdurare debet usque ad consummationem sæculi ; 2° *sanctitas*, origo enim est sancta, finis sanctus, media sancta ; 3° *catholicitas*, quia Ecclesia est una respectu totius generis humani, quod sanctificare debet ; 4° denique *apostolicitas*, quia apostoli fuerunt administri Christi in diffusione Ecclesiæ. Sed istæ proprietates præter statum internum, quem habent, prout sunt veluti explicatio conceptus essentiæ Ecclesiæ, habent etiam statum phænomenicum, quo exterius veram Christi Ecclesiam patefaciunt. Et ideo dum sumuntur præ illo statu phænomenico dicuntur *notæ* Ecclesiæ, quia hanc Ecclesiam omnibus notam faciunt.

At Ecclesiam suam Christus ornavit quibusdam prærogativis, quæ spectatæ in ordine ad conceptum essentiæ, sunt veluti superadditæ : *dotes* Ecclesiæ a theologis appellari solent, quæ sunt numero tres : *indefectibilitas* in existendo, *infallibilitas* in docendo, *auctoritas divina* in regendo.

III. Ecclesiæ, quoad corpus speciatim spectatæ, duo sunt elementa : personæ et res sensibiles quæ etiam dicuntur media. Personæ in duplicem classem partiuntur : multitudo fidelium, nempe sociorum (qui in numero quo censentur, laici dicuntur); et sacer principatus, cujus membra clerici nuncupantur : sunt ii quibus cura finis proximi Ecclesiæ, nempe sanctificationis animarum est demandata. Hæc sanctificatio ex Christi constitutione obtinetur per *sacramenta*, accedente tamen *cooperatione* hominum, per realem fidem et bonam vitam.

Inter media societatis ecclesiasticæ quibus finis proximus obtinetur sunt sacramenta, quæ vi intrinseca producendi gratiam prædita sunt, et prædicatio, quæ fidem et mores populi christiani dirigit ad normam revelationis divinæ. Jam vero potestas ecclesiastica, prout sacramenta dispensat, dicitur *potestas ordinis*, prout operationes fidelium regit intuitu hujus sanctificationis, dicitur *potestas jurisdictionis*.

Potestatem jurisdictionis exercet sacer principatus ferendo leges, quarum objectum *formale*, seu finis intrinsecus, est proxime sanctificatio animarum, remote vita æterna, et objectum *materiale* duplex, nempe 1° dogma seu definitiones fidei, 2° disciplina seu moderatio actionum juxta fidem.

Dogma, juxta vim vocis, est veritas quælibet inconcussa; sed hæc vox, dum adhibetur ad veritates ordinis supernaturalis significandas, potest definiri : Veritas certe a Deo revelata. Et hæc certitudo absoluta acquiritur per magisterium infallibile Ecclesiæ; unde dogma explicatius et strictius potest definitione declarari : *Veritas certe a Deo revelata, firmiterque credenda ab Ecclesia proposita.* Dogma illud est veritas speculativa vel practica : v. g. Deus est unus et trinus, Deus est colendus.

Disciplina, etymologice spectata, est norma agendi; sed prout est objectum legum ecclesiasticarum definiri potest : *praxis agendi secundum fidem*, nempe secundum dogma. Consistit ergo in determinatione relationis inter factum particulare, seu actionem humanam, et veritatem credendam.

Talis est igitur constitutio interna societatis religiosæ prout sumitur, non juridice et abstracte, sed historice et in concreto. Et hæc temperatio interna apprime respondet conceptui juridico societatis religiosæ quæ finem supernaturalem habeat. Etenim

1° Finis supernaturalis expostulat media supernaturalia, qualia sunt sacramenta;

2° Idem finis non potest naturaliter cognosci, itaque supponit revelationem, et revelatio semel facta in tempore non potest ab hominibus indubitate cognosci, sine internuntio in quem error nunquam cadat; igitur renuntiatio revelationis supernaturalis expostulat magisterium

infallibile, quod ultimum finem sine erroris formidine semper ostendat, scilicet regulam credendi viventem semperque agentem, quia homines quotidie salvari debent. Supremus et infallibilis magister Ecclesiæ est Summus Pontifex.

3° Non modo regi debet fides quoad finem ultimum, verum etiam media absque ulla deceptione ostendi debent et applicari. Ergo requiritur potestas docendi et potestas ordinis.

4° Actiones non modo internæ debent moderari intuitu finis ultimi, verum etiam operationes externæ dirigis debent efficaciter ad boni communis adeptionem, quod potestatem disciplinarem requirit.

§ II. De externo Ecclesiæ statu.

I. De statu externo normali, seu ex ipsa rerum natura efflorescente.

298. — Jam ex dictis (295) constat Ecclesiam esse societatem a statu politico independentem : ejus finis est superior et nobilior; porro ex fine determinantur natura et relationes omnes cujusque societatis. Præterea Ecclesia est societas supernaturalis et immutabilis, dum societas civilis est naturalis et mutabilis; sed supernaturale profecto non est obnoxium naturali, nec immutabile, mutabili.

Ex altera parte status politicus, *in suo ordine* rerum mere temporalium, remanet independens ab Ecclesia, quandiu nihil agit contra ejus prærogativas et jura. Utriusque enim societatis est distincta origo : una est a Deo, ut auctore naturæ; altera vero immediate a Deo, ut auctore ordinis supernaturalis : distinctus etiam est finis, licet inter utrumque sit arcta conjunctio (261). Societas civilis revera facultatem habet a Deo, vi naturæ, efficiendi quidquid ad terrenam felicitatem sociorum confert, ac proinde jus merito sibi vindicat regendi negotia temporalia respectu finis temporalis, licet non sine ordinatione, saltem negativa, ad bonum spirituale subditorum. At res temporales *sub respectu finis temporalis* sunt præter finem Ecclesiæ. Fundamentum enim facultatis exigendi aliquid a subditis situm est in necessario rei præceptæ nexu cum fine societatis (274). Ergo status politicus in suo ordine potest dici aliquo sensu independens ab Ecclesia.

Verumtamen ordo rectus postulat ut bonorum temporalium prosecutio quodammodo non exsorbeat, ut ita dicam, felicitatem æternam; inde, si status politicus vellet actionem Ecclesiæ præpedire, et bona spiritualia submovere, ad se trahendo quidquid est temporale, id evidenter esset contra ordinem, qui decernit spiritualia bona bonis corporeis legem dare. Ergo etsi societates, religiosa et civilis, in proprio ordine dici possint, independentes, tamen in materia mixta, status politicus Ecclesiæ cedere debet, secus fieret jactura boni infinite superioris in commodum boni infinite inferioris, seu temporalia et caduca bona spiritualibus et æternis anteponerentur. Inde generatim concludere possumus societatem civilem absolute loquendo subordinari Ecclesiæ (295).

299. — Sed, ut hæc primatia distinctius definiatur triplex animadvertenda est majoritatis ratio : 1° *primatia sine jurisdictione* in societatem inferiorem; 2° *cum jurisdictione* plena et directa, ita ut societas inferior absolute et directe subsit superiori, quæ proinde potest hanc inferiorem in rebus omnibus regere et ordinare; 3° cum *indirecta jurisdictione*, quod habetur quando societas superior nonnisi per accidens in inferiorem exercere potest suam potestatem, nempe dum propriæ conservationis et liberæ actionis necessitas id postulat. His prælibatis, ad applicationem devenire oportet, incipiendo a jure absoluto et directo Ecclesiæ in omnes homines seorsim sumptos, ut postea relationes ipsarum societatum, ut sic, æquo pede stabilire possimus.

300. — Thesis. ***Ecclesia jus habet se propagandi per universum orbem, etiam reluctante civili potestate.***

Probatur. 1° Ex universali jurisdictione, quam Christus Ecclesiæ contulit : id theologi probant.

2° Id etiam deducitur ex natura et essentiali officio Ecclesiæ. Societas enim religiosa, quæ ex hypothesi est una (297), debet omnes homines salvare, seu totius generis humani sanctificationi invigilare, ideoque ratione subjectorum, est universalissima; atqui evidenter competit societati superiori et independenti jus repetendi propria membra et libere communicandi cum suis omnibus subditis : siquidem omnes homines sunt virtuali-

ter vel actualiter subditi Ecclesiæ, quia omnes ad salutem æternam sunt vocati, et nemo finem ultimum diversum habet ab illo quem prosequitur Ecclesia. Ergo Ecclesiæ jus inviolabile competit sese diffundendi in universum orbem.

301. — *Corollarium.* Hinc a fortiori jus habet sese constituendi in locis ubi sunt fideles; non potest enim se propagare nisi secundum suam immutabilem constitutionem, ideoque proprios subditos regit secundum hanc constitutionem quæ immutari nequit sive ab ipsa, sive ab aliis. Inde sese evolvere debet juxta propriam naturam.

De ambitu jurium Ecclesiæ in societatem civilem.

302. — Nunc speciali modo quærendum est quousque legitime protendi possint jura Ecclesiæ in societatem civilem. Triplex societatis civilis species respectu Ecclesiæ distinguenda est, nempe 1° societas civilis *infidelium*, 2° societas civilis *hæreticorum*, 3° societas civilis *catholicorum*. Probata utique generatim et veluti in abstracto primatia societatis religiosæ præ civili (295), speciali modo in præsens id definiendum est.

I. De iis qui foris sunt, seu de infidelibus, Ecclesia non judicat (1), ideoque societas infidelium est penitus extra Ecclesiam, et legibus pure ecclesiasticis non obstringitur, quæ unice respiciunt subditos; sed jus divinitus collatum certo Ecclesiæ competit convertendi infideles, ut constat ex dictis, seu bellum perpetuum indicendi societati infideli, quæ religionem falsam profitetur. Potest perpetuo immittere sacros bellatores in dominium cujusque societatis infidelibus constantis; est ergo status belli perpetui, non autem pacificarum relationum; caritas Ecclesiæ infatigabili cura urget omnes infideles.

II. Hæretici, absolute loquendo, subjiciuntur jurisdictioni Ecclesiæ, quia, ut ait effatum juris : *Nemini fraus et dolus patrocinari debet;* porro hæretici causa criminis sunt extorres ab Ecclesia. Diximus absolute loquendo : nam dantur quædam circumstantiæ in quibus exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ gravissima gigneret incommoda pro heterodoxis, et tunc Ecclesia

(1) I Cor. V, 12.

quæ charitatem lædere nequit, nolle censenda est suis legibus obstringere hæreticos.

III. Etiam quoad *societates fidelium*, valet generalis doctrina superius declarata (298); itaque in res temporales sub respectu finis temporalis consideratas, Ecclesia nullam auctoritatem directam habet, imo nec indirectam : quia aliquid, sub hac præcisa ratione finis temporalis, nullum respectum habet ad finem Ecclesiæ; et ex probatis hoc loco inferre jure licet :

1° Quibus in rebus etiam temporalibus ratio finis spiritualis concurrit, sive per se, sive per accidens, civilis societas Ecclesiæ cedere debet, quia media eodem modo inter se coordinari debent ac fines ad quos ordinantur.

2° Principes christiani religionem tueri debent, tum 1° quia sine morum probitate et sine religione, ipsa felicitas temporalis diu subsistere nequit; tum 2° quia felicitas temporalis, ut sit recta et ordinata, ad æternam referri debet : quilibet enim civis hanc duplicem felicitatem prosequitur, ideoque nequit priori tantum adhærere, relicta altera. Itaque ordo postulat ut princeps catholicus ita felicitati temporali prospiciat, ut tamen hæc ad æternam ordinetur sive positive sive saltem negative.

3° Igitur exercitio hujus officii quoad religionem tuendam adstringuntur principes catholici (243, 275); ipsi tamen judicia Ecclesiæ antevertere nequeunt, secus directam auctoritatem in res religiosas arripere conarentur, quæ nullo modo eis competit.

303. — Thesis. *Status politicus atheus esse nequit.*

Nota. Nonnulli legistæ putant statum politicum a religione esse plane separandum, etiam in societatibus christianis, ita ut indifferentem se omnino præbeat in his quæ pertinent ad religionem. Hæc exitialis doctrina *atheismus legalis* vocari solet, quia docet regimen societatis civilis debere ita se gerere ac si nulla esset revelatio supernaturalis, nullusque Deus.

Probatur I. Resultat ut corollarium ex superius dictis tum de officio tuendi religionem quo obstringitur princeps christianus, tum (145) de cultu sociali qui debetur Deo; status politicus, ut sic, Deo subjectus est.

Deinde sine religione tranquillitas socialis et pax, quæ est maxima pars felicitatis temporalis, diu consistere nequit. Solutis ab omni lege divina et morali conscientiis, jam ad communia officia vitæ civilis et politicæ sustinenda remaneret sola vis materialis, quæ non sufficit, et cæteroquin tyrannidem intolerabilem infert.

Probatur II. Constat ex *ipsa rerum natura* Ecclesiam et statum politicum intime conjungi debere. Etenim non possunt rationabiliter *separari* societates quarum fines non sunt mutuo separati, et quarum iidem sunt subditi : etenim 1° fines ad invicem intrinsecus ordinati nequeunt per voluntatem alicujus potestatis humanæ aliter mutuo se habere, eodem pacto ac effici nequit ut circulus sit quadratus; 2° si iidem sunt subditi, nempe si iidem homines sunt socii utriusque societatis, certo effici nequit ut in iisdem *civis* a *fideli*, seu idem homo a semetipso separetur.

Atqui 1° finis societatis civilis est medium respectu finis Ecclesiæ : societatis enim civilis scopus est felicitas temporalis, quatenus est propria hominis; sed temporalis felicitas hominis ad finem ultimum, seu ad felicitatem æternam certo ordinari debet, non secus ac gressus viatoris ad metam ultimam itineris; 2° idem est subjectum utriusque societatis, ut per se patet.

Ergo separatio status politici ab Ecclesia est aliquid pugnans contra essentialem rerum ordinem. Qua de causa ait Becanus (1) : « Illud statuendum est contra politicos, reges et principes christianos non ita debere sua regna ac provincias administrare, ut omnem religionis et Ecclesiæ curam abjiciant, tamquam nihil ad se pertinentem, et usurpent illud donatistarum : Quid imperatori cum Ecclesia? quod tantopere reprehendit Augustinus lib. II. c. litt. Petil. c. 92 ».

Probatur III. Ordo politicus et societas civilis non est independens a Deo; sed voluntas Dei absoluta est ut omnes homines veræ religioni se subjiciant, cultuque publico suum supremum Dominum et Creatorem colant. Ergo voluntas Dei absoluta est ut ordo politicus veram religionem profiteatur, cultumque publicum supremo Domino omnium rerum reddat.

(1) Duell. de primatu regio l. 3, c. 8.

304. — I. *De libertate cultuum.* Ex thesi superius probata (collatis n[is] 146-147) nonnulla erui possunt corollaria circa libertatem cultuum, ut aiunt, et libertatem conscientiæ.

1° Qui libertatem cultuum propugnaret tanquam *principium æquitatis naturalis*, Dei ipsius positive jubentis imperium manifeste recusaret : sicut enim religio vera ac supernaturaliter revelata est necessario una, ita cultus verus ac Deo gratus unus esse debet; cultus, quem Deus ipse ab omnibus exigit, non potest esse indifferens ad salutem : « Qui non est mecum, ait ipsa Sapientia æterna, contra me est ». Itaque doctrina de religionum indifferentia, quæ aufert omne discrimen erroris et veritatis, est omnino reprobanda.

Præterea, cum hic agatur de ordine rerum essentiali et immutabili, atque de absoluta Dei voluntate supernaturaliter manifestata, liquet sequentes propositiones falsas esse : 1ª « Ætate hac nostra, non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis ».

2ª « Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere (1). »

Ætate nostra, sicut omnibus ætatibus, Status politicus, non secus ac singuli homines, subjacet præceptis divinis, quæ ut vim habeant, non egent confirmatione principum et populorum. Deinde cultus falsus ac mendax est absolute reprobatus a Deo, adeoque nullum jus habet ad liberum ac publicum exercitium.

2° Verumtamen, ex hac certissima doctrina non licet austero nimis more statim concludere, in *casu aliquo particulari*, contra principem, qui libertatem cultuum permitteret; nam quandoque talia inveniuntur adjuncta, quæ obligationem etiam absolutam supremi imperantis tollunt, juxta sequens principium : *ad impossibile nemo tenetur*, quod etiam valet quando agitur de præcepto divino. Porro in præsens agitur de lege divina, adeoque sola impossibilitas proprie dicta potest statum

(1) Prop. 77, 78, damnatæ in Syll. Encyclicæ *Quanta cura* annexo.

civilem eximere ab obligatione re et actibus obtemperandi huic legi : hinc libertas cultuum potest quandoque tolerari; sed nunquam rationem juris obtinere, pro falsis ac perversis religionibus. Hæc ergo libertas omnium cultuum, ut status normalis ac legitimus propugnata, est absurditas in quantum subvertit ordinem rationis, et simul doctrina impia quatenus detrahit obedientiæ erga Deum jubentem. Itaque status politicus tenetur veram religionem verumque cultum inquirere et servare, adeoque ab omni falso cultu se expedire.

305. — Ut paucissimis contrahamus totam hanc doctrinam, dicere oportet :

1° Libertatem cultuum a nemine posse asseverari tanquam principium æquitatis naturalis : « quæ est pejor mors animæ, ait S. Augustinus, quam libertas erroris (1). »

2° Occurrere tamen posse quædam adjuncta in quibus potestas suprema politica non teneretur prohibere falsos cultus; etenim propter ingentia pericula, seu moralem impossibilitatem leges vigentes immutandi, libertatem cultuum adhuc existentem relinquere posset, dummodo veræ religionis exercitium sit reapse liberum.

3° Inde liquet æquivocam esse distinctionem a nonnullis recentioribus invectam inter *jus* et *factum*, ac si de jure, seu, ut illi interpretantur, in solo *ordine abstracto* et theoretico, libertas illa esset contra jus, dum in ordine concreto et in praxi esset indiscriminatim res omnibus reipublicæ gubernatoribus licita.

Nemo enim non videt quam pugnans sit hæc doctrina, per quam quisque teneretur talia principia practica theoretice affirmare, quæ tamen in praxi pro libito posset missa facere. Nihilominus illam tenent catholici liberales qui autumant id esse simpliciter theoretice verum quod est simpliciter practice falsum, id esse absolute ac intrinsece illicitum quod tamen practice et in ordine executionis est universim licitum. Itaque hic opus est distinctione : si de *facto particulari* ageretur, nempe de statu hujus vel illius nationis gravioribus impedimentis irretitæ, licita esse posset lex aliqua libertatem cultuum tolerans, *conc.;* si ageretur de *facto*

(1) Ep. 66.

generatim sumpto seu de ordine practico universim accepto, certo debemus negare libertatem cultuum rem licitam esse; nam hæc hypothesis in ipsum jus recidit, et negat potestatem vel voluntatem Dei societatibus politicis, ut sic, imponendi obligationem veræ religioni parendi.

Ad hanc conclusionem effugiendam adversarii aliqui catholici objiciunt : Potestas politica non est judex controversiarum fidei. Ergo se immiscere nequit rebus fidei et religionis. Sed facilis est confutatio hujus difficultatis. Itaque respondeo : *Conc.* antecedens; *disting.* consequens : Nequit se immiscere... ut judex definiens quid sit credendum vel agendum, *conc.; Non* tenetur se subjicere, sicut singuli homines privatim sumpti, vero cultui et rebus fidei, juxta Christi præceptum : « Qui non crediderit, condemnabitur », *neg.* Potestas ergo politica veram religionem *simpliciter profiteri tenetur* sub ductu et magisterio Ecclesiæ, et sic praxi et exemplo jam damnat falsas religiones. Qui affirmaret potestatem politicam non teneri ad veram religionem inquirendam et agnoscendam, quia id peragere nequeat, a fortiori affirmaret id impossibile esse singulis hominibus (156). Qui etiam affirmaret potestatem politicam non ligari præceptis Ecclesiæ, eo ipso negaret statum politicum Deo ipsi Ecclesiam constituenti subordinatum esse.

306. — II. *De libertate conscientiæ.* I. Ex dictis consequitur libertatem conscientiæ, prout a modernis libertinis accipitur, esse in manifesta oppositione cum lege divina. Per libertatem enim conscientiæ intelligunt facultatem qua homo quilibet frueretur libere profitendi in ordine externo et publico suam fidem, ac quovis cultu suam in Deum religionem manifestandi (1).

Sed 1° ut a nomine incipiam, nemo non videt quantum sit æquivoca et falsa ipsa hæc appellatio. Per libertatem enim conscientiæ intelligunt immunitatem a qualibet coactione in ordine externo et publico, quoad res religiosas; conscientiæ ergo nomine directe veniunt operationes externæ et corporeæ. Si autem vocabulum ipsos actus conscientiæ designat, hæc

(1) Jules Simon, *La liberté de conscience*, 4me leç.

nominis impositio certo non fit nisi *indirecte* et *per accidens*, scilicet ope relationis actuum externorum cum internis animi motibus, qui coactionem pati nequeunt. Ergo appellatio rem nominatam aut nullo modo aut nonnisi *indirecte* et per *accidens* reipsa designat.

Præterea 2° vocis æquivocatione abutuntur adversarii ad considerandos per *modum unius* internos et externos actus, et ad tribuendum actibus externis et publicis omnes dotes operationum mere internarum ac spiritualium : inde emergit confusio libertatis internæ et psychologicæ cum libertatis exercitio in ordine externo et publico (1).

Sed 3° tota hæc doctrina, generatim spectata, ut postulatum necessarium manifesto supponit 1° omnes religiones esse æque veras, et veritatem absolutam nullatenus existere, necnon Deum nullo *determinato* modo ab hominibus coli velle; 2° nullum divinitus institutum fuisse magisterium in ordine externo ad regendum fidem et mores; 3° fidem nihil aliud esse quam *sinceritatem* subjectivam existimationum seu opinionum, quæ alicui realitati externæ seu veritati objectivæ respondere non obstringerentur; quorum omnium falsitas constat ex hactenus probatis.

II. Argumenta quibus hanc libertatem tueri conantur etiam nonnulli politici, corde et voluntate catholici, putidas redolent æquivocationes : 1° Cultus externus debet respondere internis cujusque cogitationibus, seu cultui interno. Resp. *disting.*; si istæ cogitationes sunt rectæ, seu ille cultus internus est verus, ac sincera illa forma a Deo omnibus imposita, *conc.*; secus, *neg.* : nam ordinem publicum ac communem agendi rationem, veritati perfecte consentaneam, nemini turbare profecto licet, ea sola ratione innixus quod ipse distorte cogitare velit. Præterea Deus non dedit omnibus facultatem sibi ab arbitrio condendi cultum, sed omnibus imposuit officium amplectendi formam religiosam quam divinitus præscripsit (156). Ratio ergo adversariorum procedit a doctrina *puri rationalismi.*

2° Non licet, inquiunt, vim inferre conscientiæ cujus-

(1) Vid. *Principes de* 89.

cumque hominis, quæ est sacrarium intemerandum, siquidem id omne quod est contra conscientiam, peccatum est. *Resp.* Et de facto nullus homo unquam potuit vim inferre conscientiæ proprie dictæ, seu cuidam operationi internæ, *conc.;* nemo potest impedire quin conscientia erronea libere erumpat in actus externos et publicos falsis cogitationibus ac perversis dogmatibus consentaneos, imo nullus potest conscientiam erroneam ad veritatis tramitem reducere, *neg.* Certo potestas publica jus habet impediendi actus externos et publicos qui bono communi officiunt, et ad rectam legum divinarum et humanarum executionem devios cogere. Præterea æquitatem profecto non violat auctoritas dum bono alicujus hominis prospicit, illum acuendo et quadamtenus adigendo ad conscientiam erroneam deponendam, aut saltem impediendo quin actibus repetitis et publicis illi callum obducat, et præsertim alios cives ad pravum suum errorem trahat. Generatim ergo sufficit animadvertere conscientiam rectam esse solam per se regulam subjectivam morum, non autem conscientiam erroneam, licet ingenuam, seu quamcumque subjectivam persuasionem (134).

3° Actus fidei theologicæ est actus liber. Ergo nemo potest impedire professionem fidei seu persuasionis internæ circa res fidei. *Dist. ant.* : actus fidei est *physice* liber, tum quoad exercitium, tum quoad specificationem, seu ad illum eliciendum concurrit voluntas libera, *conc.* ; et id verum est sive agatur de vero ac proprie dicto actu fidei, sive de falso seu apparenti tantum. Est actus liber in hoc sensu quod actus subjectivus *licite* possit cum regula objectiva fidei indifferenter consonare vel ab ipsa digredi, *neg.* Itaque actus internus fidei qui elicitur a catholico, et actus assentationis internæ alicui perverso dogmati, quem elicit hæreticus, sunt actus *physice* liberi, ideo quia procedunt a libera voluntate : et nulla potestas humana potest *physice* hos actus internos impedire. Sed hi actus non sunt ambo liberi in hoc sensu quod sint æque *liciti* ac honesti. Itaque nulla potestas licite impedire potest externam manifestationem veræ fidei; sed legitime et laudabiliter impediret externam professionem perversæ doctrinæ. In primo casu Deus ipse

jubet hanc manifestationem, et in secundo prohibet quemlibet actum hujusmodi sive externum, sive internum.

Præterea etiam transmisso antecedente, consequens negare jure possemus, quia ex antecedente logice non fluit : actus enim fidei est actus internus, ab intellectu elicitus, et quidem per actum positivum voluntatis moto; porro professio externa, de qua agitur, connexionem necessariam non habet cum ejusmodi actu interno.

Hic etiam animadvertemus actus omnes publicos esse quodammodo sociales, seu non ita esse proprios singulorum, qui eosdem eliciunt, ut alia membra societatis non afficiant. Omnibus quotidiana experientia exploratum est non modo actionem honestam ad bonum impellere videntes, sed et turpem ad mores aliorum corrumpendos plus minusve conducere : homines exemplo moveri solent. Itaque quisque jure potest remotionem scandali, quod omnibus nocet, nempe bono communi adversatur, poscere, ac proinde professionis externæ cultus falsi et perversi prohibitionem petere.

Inde in Syllabo superius laudato, damnata fuit hec propositio : « Enimvero falsum est civibus cujusque cultus libertatem itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ad indifferentismi pestem propagandam. (Prop. 79.)

II. De statu externo pactionibus, seu, ut aiunt, concordatis, stabilito.

307. — Hactenus ex ipsa natura Ecclesiæ et societatis civilis, mutuas inter utramque societatem relationes determinavimus, seu statum externum societatis religiosæ ostendimus. Sed nemini dubium est quin limites alicujus potestatis dilatari vel contrahi possint, saltem quoad exercitium, ex aliquibus factis; porro principes non raro Ecclesiæ exercitium jurium quæ illi divinitus donata sunt, non reliquerunt, licet non semper ex odio fidei, sed quandoque ex zelotypia auctoritatis. Inde status belli, cui mederi non potuit potestas

ecclesiastica, nisi per quasdam conventiones, seu publica fœdera, quæ *concordata* appellari solent.

Ecclesia enim maluit principibus delegare exercitium quorumdam jurium ecclesiasticorum, quam sinere ut ipsi proprio motu ac violenter ea sibi vindicarent, ac injuste detinerent, seu principes maluit habere tanquam administros quam ut hostes. Ergo concordata non sunt absolutæ, sed tantum hypotheticæ, necessitatis in Ecclesia.

308. — 1. *De natura concordatorum.* Causam occasionalem concordatorum superius assignavimus, quæ in pravis opinionibus ac doctrinis auctoritatis ecclesiasticæ subversivis conatibusque istis placitis consentaneis reponi debet. Itaque *occasio* est negatio jurium Ecclesiæ et ambitio potestatis politicæ; *finis*, utilitas quædam relativa Ecclesiæ, in suorum jurium possessione perturbatæ, ex pacto obventura.

309. — Thesis I. *Concordata plerumque non sunt pacta synallagmatica.*

Nota. Diximus *plerumque*, quia fieri potest ut societas civilis rem aliquam temporalem et sibi propriam ad Ecclesiam transferat; tunc haberetur, ratione materiæ, verus ac proprie dictus contractus bilateralis.

Probatur. 1° Ex natura *objecti* seu *materiæ* hujus contractus; plerumque agitur de rebus ad Ecclesiam proprio et originario jure pertinentibus; exercitium quorumdam jurium soli societati ecclesiasticæ per se competentium cedit supremus Pontifex potestati civili, quæ sæpiuscule hæc jura jam invaserat, et contra fas retinebat. Atqui contractus bilateralis non habetur nisi sit ex utraque parte datum et acceptum. Ergo, cum unice agatur de temperamento exercitii jurium soli Ecclesiæ competentium, fit ut contractus non possit esse bilateralis.

Præterea res spirituales, vel spiritualibus adnexæ ordinarie et regulariter constituunt materiam concordatorum; atqui hæc materia, quæ alias cum rebus mere temporalibus sine simoniæ labe non posset commutari, ad Ecclesiam unice spectat. Ergo concordata non sunt pacta synallagmatica.

Probatur. 2° Ex *qualitate* contrahentium : fœdera

synallagmatica proprie dicta non possunt iniri nisi inter societates æquales et ab invicem independentes : si enim ageretur, v. gr., de societatibus quarum una foret alteri naturaliter subordinata, certo pactum de mutuis utriusque juribus generatim non esset æquale : societas superior de suo daret, inferior nihil præstans aliquid acciperet. Atqui societas religiosa ac supernaturalis et societas civilis non sunt societates prorsus æquales et ab invicem independentes, siquidem status civilis religioni subest. Ergo, nisi forte ageretur de objecto omni ex parte proprio societatis civilis, respectu cujus haberetur ut societas independens, concordata non sunt contractus bilaterales.

310. — *Corollarium.* Ergo concordata, ordinarie et regulariter, *privilegiis* adnumeranda sunt, et eorum causa efficiens est materna Ecclesiæ pietas et sollicitudo, quæ medium compositionis in temperamento exercitii jurium sibi competentium quæsivit.

Itaque possunt definiri concordata : *Solemnes pactiones de limitibus utriusque potestatis, inter Pontificem maximum et sæculi principes editæ pro moderamine status disciplinaris peculiarium ecclesiarum alicujus regni vel nationis, ad pacem reparandam et servandam inter sacerdotium et imperium.*

311. — Thesis II. *Ad concordata rite valideque ineunda requiritur materia licita.*

Nota. Per materiam licitam, hic intelligimus eam cujus liberam dispositionem habent paciscentes.

Probatur. Nemo potest pacisci de juribus non propriis, aut in se inalienabilibus : contractus in quo quis traderet rem inalienabilem, importaret alienationem rei inalienabilis, quod manifeste repugnat. Atqui, potestas ecclesiastica quibusdam fruitur juribus quorum exercitium ipsi soli competit, et quæ proinde alienari nequeunt, sive in se, sive quoad exercitium. Si enim objectum concordati adversaretur alicui vero ac proprie dicto officio essentiali quo contrahentes actu tenerentur, nimirum si hæc materia actu conjungeretur cum vera proprieque dicta obligatione, tunc de hac re paciscens esset reus violati officii, seu *juris superioris imperantis* a quo imponitur illud offi-

cium. In hoc casu, Romanus Pontifex jus ipsius Christi jubentis violaret. Ergo, etiam ad hæc solemnia fœdera, non secus ac ad contractus inter privatos homines, requiritur materia licita.

312. — *Scholium.* S. Pius V negavit se posse principibus perpetuo concedere facultatem admittendi vel rejiciendi constitutiones apostolicas, licet mere disciplinares, seu *jus placiti regii.* Ratio est quia sine rectæ fidei et perfectiorum morum dispendio hæc facultas, absolute et tanquam jus coronæ regiæ, concedi non posset. Hæc enim concessio aliquam importat abdicationem potestatis legislativæ et gubernatoriæ, quæ, juxta Dei decreta, est in se suprema et inalienabilis, non secus ac ipsa Ecclesia.

313. — II. *De valore et rescissione concordatorum.* 1° Valor concordati *immediatus* est valor pacti seu contractus; concordatum enim ad genus contractuum pertinet, et personæ publicæ quæ paciscuntur, expresse volunt ut pactum initum etiam a successoribus sancte servetur. Itaque ex concordato *enascuntur obligationes* ex parte utriusque contrahentis, nempe Romani Pontificis ex una parte, et principis sæcularis ex altera; inde etiam Papa, sin minus ex justitia, saltem ex fide promissa, tenetur servare omnia quæ in concordato illo determinata sunt. Mutua ergo contrahentium obligatio est effectus primarius concordatorum.

Effectus *mediatus* concordati est ut *legem* faciat pro omnibus ecclesiis particularibus nationis vel regni pro quibus pactum initum est. Contrahentes enim sunt publicæ personæ quæ nomine societatum contrahunt; inde pactio societates illas ligat, seu est lex : sortitur enim omnes effectus legis ecclesiasticæ et legis civilis. Et, sub hoc respectu spectata, concordata speciali etiam modo interpretanda sunt.

2° Sequitur quod concordata, præ immediato effectu spectata, sicut cæteri contractus, rescindi nequeunt, nisi vel mutuo consensu, vel ex eo quod materia evadit impossibilis, aut nociva, vel denique legitimo judicio, quando occurrit causa gravis extraordinaria, ob quam bonum commune Ecclesiæ aliud postulat.

a) Rescissio conventionum inter duas societates ini-

tarum potest evidenter mutua voluntate contrahentium fieri, non secus ac contractus inter privatos.

b) Si materia fit moraliter vel physice impossibilis, fœdera inter societates etiam dissolvuntur sicut contractus inter privatos : materia hic dicitur moraliter impossibilis quando coordinari amplius nequit ad utilitatem sive status, sive Ecclesiæ, quam legislator, tum ecclesiasticus tum politicus, ex officio et ex justitia promovere tenetur Princeps politicus rescissionem petit, quando agitur de politica utilitate cujus est legitimus judex; et Summus Pontifex, si de utilitate Ecclesiæ sermo sit. Tamen, cum utilitas civilis subordinetur utilitati Ecclesiæ, fit quod princeps politicus non possit judicium decisivum ferre de impossibilitate materiæ, nisi prius ostendat potestati ecclesiasticæ hoc minime nocere utilitati Ecclesiæ; nequit enim societas civilis aliquod commodum Ecclesiæ in rem suam convertere, seu pro jure suo spoliis Ecclesiæ suas opes augere ; et damnum societati religiosæ inferri non potest, ut inde societas civilis aliquod emolumentum lucretur. Sed absolute loquendo materia non potest fieri impossibilis vel societati civili nociva, si remanet utilis societati religiosæ.

c) Concordata rescindi possunt legitimo judicio quando occurrit causa gravis extraordinaria; sed Summus Pontifex solus de plenitudine potestatis suæ judicialiter contravenire potest concordatis.

Hic animadvertendum est quod solus Papa possit tale judicium ferre, siquidem, ut jam innuimus, societas civilis, si quid Ecclesiæ concessit, non potest illud ab arbitrio vel interpretando restringere vel judicando revocare. Concessa enim Ecclesiæ, fini spirituali addicta sunt, circa quem societas civilis nullam habet potestatem : fiunt materia fori ecclesiastici.

Deinde quod tale judicium rescissorium a Papa ferri possit, minime dubium est, nam si concordatum non est ratione materiæ contractus vere synallagmaticus, sed verum *privilegium*, Ecclesia evidenter potest illud revocare, præsertim si ratio sui finis, hoc est, salutis æternæ hoc exigat. Potest enim contingere ut tractu temporis res eo deveniat ut, mutatis circumstantiis, pactum servari nequeat sine dispendio salutis æternæ, ac

proinde sine peccato. Tunc bonum publicum poscit ut supremus judex ecclesiasticus tollat illud pactum, quod difficultatem affert consecutioni finis illius ad quem pronum iter suis subditis præparare debet. Quas ob causas supremus rector Ecclesiæ rescindere potest et debet illud concordatum.

Præterea in illis privilegiis, Ecclesia habet rationem principis, societas civilis personæ subditæ (1).

Tamen, propter fidelitatem promissam, decet ut mutuo contrahentium consensu rem componere curet. Sed si cœptum inane evadat, potest Pontifex ex plenitudine potestatis suæ sententiam declaratoriam rescissionis ferre : in casu, quo materia fieret absolute illicita, cum contractus proprie dicti seu pacta omnia in hoc casu jam vi sua deficiant; deinde, si occurrat causa extraordinaria, præterquam quod consensus non videtur datus pro tali casu.

3° Si ageretur de *rebus temporalibus*, a quibus. ante consummationem contractus, ratio spiritualis iisdem adnexa ab ipsa Ecclesia, legitime separata fuerit, Ecclesia non deberet sine consensu alius partis contrahentis concordata revocare. Ratio hujus limitationis hæc est : « In iis rebus, a quibus ratio spiritualis separata est omnino, deficit fundamentum principatus Ecclesiæ in societatem civilem » (2).

314. — An concordatis per contrariam consuetudinem vel præscriptionem derogari possit? Multi negant, tum quia generatim præscriptio et consuetudo reservationibus apostolicis derogare non possunt, tum quia jus publicæ utilitatis et unionis quæsitum in concordatis non potest ullis subditorum factis immutari, tum denique quia consensum denegare videtur Papa. Tamen alii probabiliter affirmant, tum quia idem dicendum est de concordatis quam de legibus ecclesiasticis a S. P. latis, tum quia rationes allatæ non sunt absolutæ et universales.

(1) Schmalzgrueber. Jus eccl. tit. de Præb. n. 271, 273.

(2) R. P. Tarquini. Jus eccl. publ. c. 2, art. 5.

ARTICULUS II.

De potestate ecclesiastica.

315. — Ecclesia est societas perfecta et supernaturalis : quatenus societas perfecta ex hominibus compaginata, aliquid commune retinet cum aliis societatibus ; quatenus vero supernaturalis, aliquid proprium sortita est ex positiva voluntate divini institutoris. Inde potestati ecclesiasticæ competunt non modo jura essentialia cujuscumque potestatis supremæ, verum etiam jura specialia et nulli alii potestati competentia

Sed potestas in abstracto spectata est aliquis complexus jurium, ideoque propter potestatis ecclesiasticæ singulares prærogativas, specialis instituenda est de ista disputatio : communibus enim et specialibus ornatur dotibus. Porro, si hanc potestatem in concreto consideramus, videmus Christum duos instituere voluisse gradus auctoritatis in Ecclesia : alterum quidem supremum et independentem, alterum vero dependentem, seu priori obnoxium. Itaque agemus 1° de œconomia supremæ auctoritatis religiosæ; 2° de œconomia inferioris auctoritatis a Christo institutæ; denique 3°, et per modumillationis, de forma regiminis Ecclesiæ.

Nota. In præsenti tractatione juris naturalis agendum foret de iis tantum quæ sunt ordinis naturalis; sed quia de facto seu in ordine historico non habetur societas religiosa pure naturalis, fit ut de vera societate religiosa, prout existit, disputare oporteat, directe quidem quoad illa quæ ipsa ratio naturalis demonstrat, indirecte tantum de principiis supernaturalibus, et prout hæc principia sunt scitu necessaria ad pleniorem intelligentiam eorum quæ pertinent ad jus naturale. His præmonitis, propositum aggredimur.

§ I. — De œconomia supremæ auctoritatis in Ecclesia.

316. — I. Theologi probant 1° Petrum accepisse a Christo supremam potestatem in universa Ecclesia, et Romanos Pontifices, Petri successores, eumdem primatum vi hujus successionis sortiri.

2° Evidentibus etiam argumentis ostendunt totum collegium apostolicum, duci Petro conjunctum, a Chris-

to quamdam etiam, priori non omnino absimilem accepisse potestatem (1). An potestas illa huic collegio, mediante Petro et non immediate mandetur, disputarunt theologi; sed ad nos non spectat quæstiones theologicas instituere : principia revelata. ex quibus logice nostras conclusiones eruimus unice referre volumus, ut magis fulgeat mirabilis harmonia constitutionis supernaturalis Ecclesiæ cum sana ratione et jure naturali.

Itaque Christus supremum auctoritatis gradum contulit uni personæ singulari et physicæ, nempe soli Petro, non ita tamen ut hæc suprema auctoritas non possit aliquando seu per accidens exerceri a toto collegio apostolico, ipsi Petro unito, seu ab aliqua persona morali in debitis conditionibus constituta; hujus personæ moralis pars essentialis erit Petrus, sine quo illa persona non esset illud ipsum subjectum cui Christus universalem contulit potestatem. Inveniri nequeunt in quolibet regimine politico vestigia talis constitutionis supremæ potestatis, quæ imaginem aliquam refert sanctissimæ Trinitatis : potestas enim est unica et indivisibilis, sed exercetur modo perpetuo et permanenti a Petro ejusque successoribus; extraordinarie et transeunti modo a toto collegio apostolico, sub duce Petro (1), seu a Petro cum collegio episcopali.

II. Ex hac notione supremæ potestatis, clare apparet conflictus inter Summum Pontificem et concilium esse impossibiles : semper enim valet adagium : Ubi Petrus, ibi suprema potestas ecclesiastica. Romanus Pontifex omnes actus supremæ potestatis elicere potest sine corpore episcopali, et corpus episcopale nullum actum supremæ jurisdictionis exercere valet sine Romano Pontifice. Hæc omnia sunt ordinis supernaturalis seu pertinent ad positivas Christi institutiones. Sed

317. — Suprema hæc potestas, ea sola ratione quod sit *suprema* in aliqua societate perfecta, dictante jure naturali, exigere potest ab omnibus subditis ea quæ sunt necessaria ad finem plane consequendum : inde est *legifera* et *executiva*, atque *judiciaria* et *coactiva*, adhibendo non modo pœnas spirituales, verum

(1) Matth. XVIII, 8. Joann. XX, 21, 23.

(1). Vide Inst. Jur. can. in colleg. S. Apol.

etiam temporales et corporales, quando necessariæ sunt : etenim societas ecclesiastica non constat puris spiritibus, sed hominibus qui contumaces et rebelles esse possunt. Origo pœnarum, ut patet, est necessitas tutelæ ordinis socialis; finis eorumdem, conservatio ejusdem ordinis; ergo extensio pœnarum a necessitatis hujus lege tantum mensuratur.

Hæc potestas speciali titulo seu divinitus insignita fuit prærogativis admodum singularibus : *inerrantia* in fide et *indefectibilitate* in charitate, ita ut constituatur *testis* plane authenticus mandatorum divinorum, seu divinæ revelationis, *judex infallibilis* omnium dubiorum circa res a Deo revelatas, seu omnes prorsus Dei voluntates respectu universi populi fidelis, *magistra* tutissima viam docens quæ ad patriam cœlestem ducit.

At sicut Ecclesia est societas visibilis, et mediis sensibilibus ac bonis temporalibus indiget ad suum finem obtinendum (290), ita supremo principi hujus societatis mediis etiam temporalibus opus est. Qua de causa :

318. — Thesis. *Juxta ordinariam Providentiæ legem, civilis principatus est Pontifici Romano seu summo Præsuli societatis religiosæ omnino universalis, necessarius ad exercitium suæ potestatis spiritualis.*

Nota. Hic agitur de statu normali et pacifico Ecclesiæ, atque de conditione necessaria in præsenti societatis humanæ ratione. In prioribus Ecclesiæ sæculis, Pontifices in cryptis delitescentes, vel carceribus detenti, certo non habebant de facto civilem principatum, et Christus providentia speciali, planeque supernaturali, Ecclesiæ suæ saluti prospiciebat.

Probatur I. Romanus Pontifex, ut pastor et rector universorum, debet æque affectus esse erga omnes populos, seu erga omnes suos filios, et vicissim omnium gentium fiduciam obtinere. Porro 1° si alicui potestati politicæ esset subjectus, jam non posset aut saltem non videretur eamdem omnibus sollicitudinem præstare, aut certo per suum statum civis alieno gubernio subditi, continuo acueretur ad se exuendum hac benevolenti et æqua propensione. Ergo in statu anormali constitueretur, et aliqua parte suæ libertatis privaretur, præterquam quod totalitate exercitii liber-

tatis exterioris, ac proinde sui officii, spoliari ab aliquo principe posset, saltem ad tempus.

2° Si omnes gentes fiduciam æque non haberent in Pontifice supremo, qui omnes moderandi munus habet, ejus gubernatio suspecta esset; etenim non omnes obsequenti ac candido animo ejus leges acciperent, ac proinde periculum salutis pro aliquibus nasceretur. At sine civili principatu, omnes populi certo non æque haberent fiduciam; nam, regnis divisis, fieret ut princeps cui Romanus Pontifex subditus foret, ad se eum trahere vellet, et quandoque adhibita vi morali vel etiam physica niteretur. Inde alii principes, contra priorem debellantes, auctoritatem Romani Pontificis tanquam libertate orbati, despicerent.

Probatur II. Romanus Pontifex est inter homines concretum elementum divinum a Christo relictum, et regula directiva ordinis moralis et supernaturalis; itaque auctoritate potitus est cui subjiciuntur omnes homines. Porro si principatu temporali destitueretur, jam rector supremus ab inferioribus dirigeretur, seu gubernatus gubernatorem regeret, elementum divinum ab humano penderet, et auctoritas supremi ordinis auctoritati ordinis inferioris obnoxia foret, quod est absurdum. Ergo.

319. — *Scholium.* Nec valet effugium quod in *civilibus* tantum et in *temporalibus* Romanus Pontifex esset subditus, dum in *religiosis* negotiis esset superior : nam ad factum quod attinet, evidens est illum dominatum in negotiis religiosis nullo modo exerceri posse seu nullam sortiri realitatem externam nisi id permittat potestas civilis : itaque etiam in religiosis regendis Romanus Pontifex esset dependens. — Si jus ipsum consideremus, hanc fallaciam iterum denudabimus. Etenim 1° ordo civilis ordini morali subjacet, ideoque ordo civilis per se non est absolute independens a suprema regula totius ordinis moralis; 2° ordo religiosus a civili et temporali non potest realiter separari : cultus externus et publicus, media ad cultum et ministrorum religionis necessaria involvunt actus et res temporales atque civiles. Ergo futilis et ridicula est hæc distributio objectorum potestatis.

Præterea distinctio prædicta inter negotia religiosa

et negotia temporalia talis exhibetur qualis esset inter res simpliciter diversas, et sic fit fundamentum *realis et completæ* separationis utriusque potestatis; porro res eadem sub diversis respectibus potest esse materia negotii religiosi et negotii temporalis. Ergo fallax est illud fundamentum, sicut et deductio quæ ex illo eruitur : sequeretur enim quod Ecclesiæ remaneret solus ordo logicus, seu conceptuum abstractorum dominium, sine ulla realitate externa et sensibili : quam putidæ sint illæ distinctiones et argutiolæ nemo non videt.

§ II. — De gradibus inferioribus auctoritatis ecclesiasticæ divinitus institutis.

320. — Ut constat ex dictis (316), integrum corpus apostolicum accepit a Christo jurisdictionem universalem; sed Petrus constitutus fuit centrum unitatis et supremus Pastor totius Ecclesiæ, quæ est una. Qua de causa Apostoli, cum plures fundarunt Ecclesias, illas sibi absolute retinere non poterant, sed easdem referre debebant principio unitatis, secus plures fuissent Ecclesiæ disjectæ, et non una Ecclesia; quod constitutionem primævam subverteret; itaque, dum præsules in munere regendi Ecclesias particulares sibi sufficiebant apostoli, easdem Ecclesias obnoxias reddebant principio unitatis, seu Petro ejusque successoribus.

Ergo Christus ita ecclesiasticam auctoritatem constituit, ut sit in Ecclesia duplex potestas divinitus instituta : una suprema et independens, quæ reservatur Romano Pontifici; altera inferior et priori obnoxia, quæ est in singulis episcopis.

321. — Ecclesia particularis, cujus Episcopus est pastor et rector, seu locus territorii quo hæc particularis aggregatio ecclesiastica continetur, *diœcesis* appellatur, quasi locus *separatus* sub ejusdem præsulis administratione; est quædam societas perfecta in suo genere, si nomen societatis perfectæ alicui parti generalis societatis dari possit.

Universa ergo Ecclesiæ administratio concipi potest, ut quoddam generale systema quod ex harmonia plurium particularium systematum resultat; videlicet singulæ diœceses seu ecclesiæ particulares quoddam peculiare

systema constituunt quod circa Episcopum revolvitur tanquam circa suum centrum: « Extra unitatem episcopi nulla salus (1) ». Sed una est diœcesis particularis, nempe Romana Ecclesia, quæ immediate gubernata ab Episcopo Maximo, est centrum totius systematis generalis. Et systemata particularia eatenus pertinent ad ipsam Ecclesiam universalem, quatenus circa hoc centrum generale revolvuntur; systemata particularia quæ hanc relationem abrumperent, remanerent sidera errantia in vacuo, quibus nullus remaneret ordo (2).

322. — Ex dictis resultat Episcopum in sua diœcesi potestatem habere *legislativam* et *executivam*, sed dependentem et supremæ obnoxiam. Hæc potestas, secus ac superior, infallibilitate in fide et indefectibilitate in charitate non fruitur, quod probant theologi, et jam rationi naturali istæ dotes videntur, ad minus, inutiles et superfluæ, cum sufficiat auctoritas infallibilis et indefectibilis Romani Pontificis. At si a lege communionis, ut superius diximus, recederet præsul alicujus diœcesis non esset amplius episcopus catholicus (3).

Hæc innuere sufficiat : natura enim potestatis ecclesiasticæ inde sufficienter cognoscitur, et societatis religiosæ indoles sat manifestatur, ut nostra tractatio de societate religiosa sit completa. Etsi disputatio hæc nostra ambitu juris naturalis contineri debeat, tamen cum *de facto* et *ex positiva Dei dispositione* nulla sit societas religiosa mere naturalis, ut jam monuimus (315), aliquam ejusmodi societatem abstractionibus mentis conflare non expediebat; sed rem, prout est in se, referre oportebat, cujus institutionis perfectissimam convenientiam palam facere non abs re erat. Deinde ex altera parte in tractatu de Ethica rationali non potest, nostris præsertim temporibus, prætermitti disputatio de societate religiosa. Itaque hactenus recensita ad pleniorem tractationem juris socialis spectant. Reliqua vero ad nostram disciplinam non pertinent, sed ad theologiam et ad jus canonicum, quæ alias principia præsentis disquisitionis circa societatem ecclesiasticam nobis suppeditarunt.

(1) S. Cypr. Ep. 52.

(2) Inst. juris can. in coll. S. Apoll.

(3) Clem. Schrader, de unitate Rom. C. .3

§ III. — De forma regiminis Ecclesiæ.

323. — Quæ hactenus de natura potestatis ecclesiasticæ disputavimus, Ecclesiæ regimen dilucide manifestant. Per formam enim regiminis intelligitur consensio omnium elementorum societatis in communem finem vergentium, seu modus secundum quem intellectus concordant, voluntates uniuntur et media coordinantur intuitu finis assequendi; sed activa directio horum elementorum ad finem est potestas. Ergo ex dictis de potestate, prona est conclusio circa formam regiminis Ecclesiæ.

Etsi res sit in promptu posita, tamen non defuerunt auctores, qui de hac re falso aut etiam perverse sentierint.

1° Marsilius Patavinus, ut Ludovici Bavari, qui Romanos Pontifices oppugnabat, gratiam aucuparet, docuit 1° in Ecclesia summam potestatem esse in toto cœtu fidelium, non secus ac in aliis omnibus, inquiebat, societatibus; 2° hanc potestatem translatam fuisse in principes, saltem fideles.

2° Protestantes innumera circa hanc quæstionem coxerunt systemata, quæ vel ad democratiam puram, sine ulla translatione potestatis, vel ad liberrimam confœderationem, vel etiam ad negationem ipsius Ecclesiæ, ut societatis distinctæ a civili, etc., regimen Ecclesiæ reducunt.

3° Richerius, Sorboniæ syndicus, affirmare etiam ausus est formam regiminis Ecclesiæ esse democratiam : Christus, juxta ipsum, immediate dedit summam potestatem cœtui fidelium; potestatem tantum ministerialem Romano Pontifici, Episcopis et presbyteris, diverso quidem gradu, immediate contulit : itaque jurisdictio seu potestas tum episcopalis tum parochialis immediate veniret a Christo, et Romanus Pontifex Ecclesiam dissentientem aut inconsultam obligare non posset.

4° Hos omnes excessus suo modo recoxit Febronius (Nicolaus Hontheim).

Sed hic error Protestantismo valde affinis, non secus ac superiores, evidenter pugnat cum verbis Christi (1), ut ostendunt theologi.

(1) Joan. xxi, 15, 16 et 17, coll. Matth. xvi, 18 et 19.

Quam ob causam, catholici non quærunt utrum illud regimen sit democraticum vel monarchicum, sed unice disputant utrum sit monarchia pura, an censeri debeat monarchia elemento aristocratico temperata.

Tamen quidam theologi, *gallicani* nuncupati, olim docebant formam regiminis esse veram aristocratiam, quia, juxta ipsos, suprema potestas regendi Ecclesiam non in Romano Pontifice resideret, bene vero apud Episcopos in concilio generali sub Petro coadunatos. Theologi vere catholici etiam ostendunt, argumentis certissimis, hanc doctrinam ab errore Protestantium et Richerii non valde abludere, et esse, saltem post concilium vaticanum, hæreticam.

324. — Thesis. *Forma regiminis Ecclesiæ est monarchia.*

Nota. Plures catholici cum Bellarmino tenent regimen Ecclesiæ esse monarchiam aristocratia episcopali temperatam : quod adstruunt ex duplici potestatis collatione a Christo facta (311). Alii, cum cardinali Usio, qui alias cum superioribus conveniunt in iis omnibus quæ spectant ad originem et potestatem ordinis episcopalis, arbitrantur ea nihil impedire quominus Ecclesiæ regimen dicatur simpliciter et absolute monarchicum; et in hoc sensu thesim ponimus.

Probatur. Monarchia pura habetur quando potestas suprema adæquate residet in una persona physica (285) : atqui suprema potestas ecclesiastica in solo Romano Pontifice residet. Minor constat 1° ex superius dictis : nimirum ex eo quod suprema potestas summo Pontifici inest et ab ipso solo ordinarie exercetur; singuli Episcopi potestatem ordinis inferioris habent, nullam vero partem auctoritatis supremæ, seu quæ se extendat ad universam Ecclesiam et in se sit suprema, possident; 2° aliquando, seu per accidens, suprema potestas a summo Pontifice in concilio generali exercetur; sed hic modus agendi non impedit quin Romanus Pontifex plenitudinem potestatis supremæ habeat. Ipse enim Pontifex, qui solus potest congregare concilia œcumenica, consortium aliorum Episcoporum sibi adsciscit in negotiis magis arduis; itaque, vi unionis moralis cum subjecto physico supremæ potestatis, Episcopi, modo tamen dependenti,

participes efficiuntur hujusce potestatis; 3° si Romanus Pontifex ab ipso concilio discederet, jam istud supremam et universalem jurisdictionem amitteret, quæ tota ad Pontificem rediret : Petro enim, ut personæ singulari, supremam potestatem nullis conditionibus alligatam Christus contulit, quæ proinde ab illo capite corporis episcopalis separari nequit. Itaque impossibile est, juxta positivam Ecclesiæ constitutionem, ut potestas suprema ex toto vel ex parte, ab aliis quam a Summo Pontifice, eo invito et reluctante, exerceatur.

Ergo in societate ecclesiastica forma regiminis est monarchia pura.

325. — *Scholium.* Nonnulli in hac re decipiuntur quia originem divinam potestatis episcopalis cum ejusdem natura permiscent. Potestas episcopalis utique venit mediate vel immediate a Christo, et ratione originis est divina; verum hæc jurisdictio non est *suprema*, sed dependens (316); itaque in præsenti parum refert an jurisdictio episcopalis veniat a Christo, mediante Romano Pontifice, vel aliter, siquidem unice agitur de potestate *suprema* ejusque subjecto : residetne hæc potestas in una persona physica vel in pluribus? en quæstio tota.

CAPUT V.

DE SOCIETATE INTERNATIONALI.

326. — Instinctu socialitatis, nec non indigentiis physicis et moralibus, homo ordinatur et incitatur ad societatem universalem : non modo ad personas inter se, ut societas domestica constituatur, et ad familias invicem, ut in societatem civilem constituendam conveniant, verum etiam ad gentes communi vinculo consociandas inclinat ipsa natura. Ultima perfectio humani generis junctionem societatum civilium inter se postulare videtur, ut concentu virium bonum commune plenius et uberius possideatur. Jam in societatem religiosam hæc naturalis inclinatio aliquo modo se pandit; sed prout ad bonum naturale quæ-

rendum incitat, natura humana, essentialiter socialis' ex mutuo commercio nationum societatem internationalem efformare nititur, cujus leges fundamentales suppeditat *jus gentium*. Sed quid proprie intelligatur per jus gentium in primis declarare oportet :

Gentis appellatione eadem sæpe notio venit ac nomine familiæ; sed hic voce gentis intelligimus integram civitatem aut nationem seu populum.

Jus gentium est quasi medium inter naturale jus et humanum; jus enim dividere solent Jurisconsulti romani in naturale, gentium et civile. Jus *naturale* est illud quod ab ipsa natura datur, *civile*, quod civili potestate introducitur, *gentium*, quod communione gentium habetur, et earum usu introducitur. Sed in illius intima natura explicanda variæ sunt sententiæ :

1° Jurisperiti communiter distinguunt jus naturale a jure gentium in hoc quod jus naturale est commune brutis etiam animantibus; jus autem gentium est proprium hominum : ita definitur in *Institutis* Justiniani. Unde jus gentium esset jus naturale quod est proprium hominum : *jus gentium est quo gentes humanæ utuntur* (1).

2° Quidam theologi jus gentium a naturali non inepte distinguunt, in hoc quod jus naturale sine discursu, vel facillimo discursu innotescit, jus autem gentium per plures illationes et difficiliores colligeretur. Quare illud jus gentium fundamentum etiam haberet in natura, licet in se non constituatur, saltem quoad nonnulla præcepta, sine aliqua determinatione positiva.

3° Non desunt etiam auctores qui opinantur jus gentium unice a voluntate populorum, rebus exigentibus, derivatum esse. Esset ergo jus vel consuetudinarium, seu usu diuturno omnium vel fere omnium gentium introductum (2), vel pactitium, seu pactis gentium tacitis innixum; consequenter non esset jus ex ipsa natura emergens, sed potius quædam species juris positivi. « Jus gentium, ait Grotius (3), id est

(1) Inst. lib. I.

(2) Suarez, de Leg. l. II, cap. 19, n. 3-6.

(3) De jure belli et pacis, t. I, c. 1, n. 14.

quod gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit. » Tamen fatetur « extra jus naturale, quod ipsum quoque gentium dici solet, vix ullum jus reperiri omnibus gentibus commune ». Itaque, ex secunda et tertia sententia ad unam magis complexam redactis, habetur plenior et verior definitio, nam *co munibus gentium moribus inducitur jus illud, insti ıte natura.*

4° Nos . præsens jus gentium consideramus, non ut contr ıstinguitur a jure naturali, neque universim seu quoad omnia præcepta quibus constat, sed tantum quoad illa quæ fundamentum præbent ordini internationali; quamobrem, per jus gentium, in hac tractatione, venit tantum jus internationale, quoad illas leges quæ fundamentum habent in natura, et communibus omnium gentium moribus inferuntur. Agitur ergo de jure internationali, non quidem pactitio sed fundamentali. Porro ordo internationalis fundamentum habet in ipsa natura : homines enim ratione naturæ communis et mutuorum officiorum vi humanitatis emergentium, invicem ordinantur, quin ullus limes localis assignari possit istarum relationum. Principium generale : « *Nemini nocere, facere bonum,* » nullis limitibus circumscribitur. Itaque gentes, quæ hominibus peculiari vinculo invicem ligatis constant, atque personas morales efformant, officia et jura ad invicem ab ipsa natura sortiuntur. Præterea, Ecclesia, quæ est societas natura sua universalis, jam positive gentes movet ad societatem internationalem ineundam, et formam essentialem hujus societatis, naturam jurium et officiorum quibus gentes inter se devinciuntur, suopte ingenio innuit.

Agemus 1° de mutuis officiis et juribus nationum in statu nativo ac normali seu quieto ac pacifico; 2° de mutuis officiis et juribus in statu conflictus.

§ I. — De mutuis officiis et juribus nationum in statu nativo seu normali spectatarum.

327. — Etsi jura et officia nationum ex ipsa natura emergant, tamen horum jurium et officiorum applicationem et extensionem natura non semper determinat; inde, in jure gentium late spectato, duo sunt distin-

guenda : 1° id quod ab ipsa natura determinatur, 2° id quod in natura utique radicatur, sed pluribus modis determinari potest, ac proinde nonnisi interveniente voluntate humana definitur. Agemus ergo primum de juribus et officiis ex sola natura emergentibus; postea de officiis et juribus ex fœdere proficiscentibus.

I. Officia et jura quæ ex ipsa natura rerum efflorescunt.

328. — Officia et jura gentium seu nationum possunt dividi in *absoluta* et *hypothetica;* quæ vi solius naturæ, nullo posito facto, emergunt, absoluta appellari possunt; si ex hypothesi alicujus facti enascuntur, hypothetica sunt.

329. — THESIS I. *Fundamentum omnium officiorum et jurium quæ statum externum gentium determinant, in amore quem sibi mutuo præstare tenentur, collocari debet.*

Probatur. Omnes homines, seorsim spectati, lege mutui amoris obstringuntur ita ut alter alteri idem bonum appetat, quod cupit sibi; hæc lex nullis limitibus circumscribitur, sed quemlibet hominem ligat erga quemcumque alium hominem : inde tam late patet terminus amoris respectu talis hominis quam patet ipsa humanitas. Jam vero homo, eo ipso quod alicui civitati pertinet, ab hac lege amoris erga omnes prorsus homines non solvitur : 1° natura societatis cujusque id non poscit nec poscere potest, quippe cum esset aliquid contra ordinem rerum, et 2° ordo socialis qui hominem perficit, pleniorem principiorum naturæ cognitionem afferendo, arctius adstringere debet mutuum hunc hominum amorem.
Atqui naturalis et primordialis ordinatio hominis ad homines est evidenter fundamentum omnium relationum socialium, ut alias constat ex dictis, ac proinde omnium officiorum et jurium. Ergo.

330. — *Scholium.* Verum hic amor quo cæteros homines diligimus, cum amore quem nobis debemus, componi debet : uterque amor est vox et lex naturæ. Itaque

331. — Thesis II. *Supremi imperantes debent utilitatem propriæ gentis anteponere utilitati gentis alienæ.*

Probatur. Supremi imperantes officio tenentur arctissimo procurandi bonum societatis, cui præficiuntur; porro, si utilitatem propriæ gentis negligerent, aut ipsi non magis prospicerent quam utilitati aliarum, suum officium desererent ac violarent. Ergo supremi imperantes primum utilitati propriæ gentis consulere debent; et in hoc sensu valet axioma veterum : *Patria præstat omnibus.*

332. — *Corollarium.* Ergo illud intercedit discrimen inter magistratum publicum et personam individuam. quod hæc commodi particularis jacturam laudabiliter facere potest in utilitatem aliorum, dum ille societatis utilitatem posthabere nequit sine proprii officii violatione : etenim persona privata in hoc casu de se suisque rebus disponit, dum e contra persona publica de rebus communibus statueret contra legem fundamentalem associationis.

333. — Thesis III. *Omnes nationes, sive magnæ sive parvæ, æquiparantur quoad jura absoluta.*

Probatur. Inæqualitas nationum non posset oriri nisi aut 1° ex eo quod esset inæqualitas in juribus sociorum componentium varias nationes; aut 2° nova jura nascerentur ex nova compaginatione quorumdam hominum; aut 3° fundamentum illarum societatum esset diversum; diversitas enim illa in juribus absolutis non potest venire nisi ex qualitate consociatorum vel ex facto ipsius consociationis. Atqui nullum dici potest : 1° omni ex parte multitudo constat hominibus, qui eadem natura iisdemque juribus individualibus fruuntur; 2° majus incrementum seu nova accessio quorumdam civium nulla jura addit, tum quia jura societatis, ut sic, non veniunt ex delegatione membrorum, tum quia, etsi id haberetur, homines recenter compaginati eximia quædam non afferunt jura quibus priores consociati carebant; 3° fundamentum cujusque societatis est idem, scilicet natura humana socialis, et jura majestatica seu ipsa potestas politica a Deo æqualiter concessa cuilibet societati.

Ergo nulla diversitas ac inæqualitas quoad jura absoluta in diversis nationibus agnosci potest.

334. — *Corollarium.* Ergo hanc æqualitatem juris subvertere aut immutare nequeunt magnæ nationes quin jus naturale manifesto lædant; et hæc jura essentialia lædere idem est ac mortem alicujus societatis, quæ ab his juribus vitam socialem habet, appetere, quod in ordine sociali perinde valet ac in ordine privato mortem proximo moliri.

335. — *Scholium.* Tamen quoad jura quæ in aliquo facto fundantur, et præsertim in illo ex quo diversitas nationum enascitur, hæc certo sunt inæqualia. Unde, cum in conventibus gentium, id est, in solemnibus summorum imperantium conciliis, isti per legatos aut aliter sedent, nihil vetat quominus hæc inæqualitas accidentalis sit regula ordinis honore antecedendi servanda inter diversas nationes sic coadunatas; hic ordo tamen ex pactis tacitis vel expressis repeti solet.

336. — THESIS IV. *Vetitum est aliarum gentium perfectioni conservationi et tranquillitati aperte vel latenter nocere.*

Probatur. Gentibus singulis evidenter competit jus adhibendi media propriæ conservationi et perfectioni necessaria quæ ejus sunt et nemini damnum faciunt : natio quæ tali jure destitueretur non esset societas perfecta, seu natio proprie dicta, nempe civitas sui juris ac integra, id est, status independens. Atqui huic juri prospiciendi propriæ conservationi, perfectioni ac felicitati respondere debet consentanea aliarum gentium obligatio : nam omnibus incumbit officium non lædendi jus aliorum. Ergo gubernium quod aperte vel insidiose aliquid moliretur, quod aliarum gentium perfectioni, conservationi et tranquillitati detrimentum afferret, reum esset læsi juris earumdem.

337. — *Scholium.* Non tantum principium *Nemini nocere* in nationum officia cedit, verum etiam hoc alterum : *Fac bonum.* Officia enim beneficentiæ non minus nationes quam homines individuos obstringunt. Relationes charitatis quibus homo quilibet vi naturæ communis erga omnes alios sine ulla exceptione devincitur, solvi nequeunt per statum socialem; imo

strictiores efficiuntur propter perfectiorem cujusque obligationum cognitionem. Itaque officiis mutuæ beneficentiæ tenentur omnes gentes, sine tamen detrimento proprii boni propriæque felicitatis. Hæc officia ad genus officiorum *imperfectorum* revocantur, quæ nempe postulari possunt, sed exigi nequeunt : at injuriam proprie dictam facit, qui impedimenta ponit ne aliqua natio suam perfectionem viresque in iis quæ juri perfecto aliorum non detrahunt, augeat.

II. Officia et jura ex pactis præsertim emergentia.

338. — I. *Commercium*, inter media quæ ad commodum et jucunditatem nationum proficiunt, præcipuum locum meretur, atque generatim in emendo, vendendo et permutando res ac pecunias, situm est. Cum aliqua natio quibusdam rebus indigeat quarum altera copiam superfluentem habet, fit ut natura ipsa ad mutuum commercium nationes ordinet; ex illo etiam hoc alterum profluit emolumentum, quod ex pacifica illa mixtione gentium, scientiæ ac artes in unaquaque amplificentur, et mores ad lenitatem magis ac magis propendeant.

Licet nationes vi naturæ ad negotiationem et commercium inducantur, nulla tamen gens officio proprie dicto, seu *perfecto*, obligatur ad negotiationes faciendas cum altera natione, nisi tamen ista in casu extremæ necessitatis versaretur, quia obligatione quæ homini cuique incumbit subveniendi proximo in summo vitæ discrimine posito, si id fieri potest sine proprio detrimento, ligantur etiam nationes.

Itaque, 1° nulla natio cogi potest, ut alterius commercium admittat, resque quibus abundat, alteri vendat, nisi hæc magna indigentia et necessitate laboret seque aliter incolumem servare nequeat.

2° Jus proprie dictum ad commercium cum alia natione exercendum acquiritur sola pactione, quæ conditiones istarum negotiationum determinat.

3° Jus itaque naturæ læderet aliqua natio, quæ aut mercatum inter duas nationes impedire vellet, aut, secluso pacto sociali, sibi vindicaret facultatem exercendi commercium aut tale genus mercaturarum, exclusis aliis nationibus.

4° Cum negotiationes et commercia sint libera, integrum est cuique nationi importationem vel exportationem aut penitus prohibere, aut debitis vectigalibus coercere, quotiescumque id expostulat utilitas publica seu bonum proprium hujusce gentis : certo lex mutuæ benevolentiæ inter nationes cedit legi utilitatis aut necessitatis propriæ singularum.

339. — II. *Fœdera.* Commercium inter nationes importat fœdera et pacta, quia jus naturæ non determinat, nisi fundamentaliter, conditiones permutationis mercium, quæ proinde per contractus internationales præstituuntur.

340. — THESIS. *Fœdera internationalia, nonnisi a supremis imperantibus sive per seipsos, sive per suos legatos, iniri possunt.*

Probatur. Fœdera sunt contractus in quibus partes contrahentes sunt ipsæ nationes, ut sic, nempe societates politicæ, et quorum objectum juribus earumdem societatum continetur. Atqui solum subjectum supremæ potestatis 1° vicem totius societatis gerit, de cujus 2° juribus pacisci solus potest, siquidem suprema potestas est complexus jurium socialium quæ commune bonum societatis respiciunt. Ergo fœdera internationalia pangere ad solos summos imperantes pertinet.

341. — *De objecto* seu de materia illorum fœderum idem fere dicendum est ac de materia contractuum inter privatos. Hoc unum satis erit dictum quod objectum fœderum internationalium proprie ponitur extra id omne quod ad jus naturæ evidenter pertinet; nam ad illud jus servandum omnes gentes absolute, seu sepositis quibuscumque stipulationibus, jam obstringuntur; verumtamen quandoque cum gentibus barbaris, quæ leges naturales parvifaciunt, officia naturæ sunt objectum fœderis; sed id contingit per accidens.

Fœdera solvuntur 1° per omnes causas quæ alios contractus rescindunt, 2° per infractiones ex parte alicujus contrahentis : tunc altera pars potest aut ab omni obligatione se solutam existimare, aut partem quæ fide decessit ad pactum implendum adigere. Si tamen pars infidelis, non sua culpa sed rerum adversarum vitio, conventis stare promissaque præstare non valeret,

nempe in absoluta et perpetua impotentia versaretur ad effectum adducendi stipulationes, fœdus simpliciter dissolveretur.

342. — III. *Legationes.* Fœdera generatim non ab ipsis principibus immediate ineuntur : imo in statu polyarchico id foret impossibile. Inde necessitas et officium *legatorum* sive *oratorum*, vel *internunciorum* emergit : illud munus in eo consistit ut legatus, gentis nomine ac mandato, extra territorium et apud exteram gentem negotia suæ gentis tractet, ejus commodis publicis consulat; dum quidpiam suæ gentis nomine ac mandato agit, nationem suam repræsentat, seu habet *characterem representativum*, qui constat ex *litteris credentialibus.*

Qualitates et officia legatorum ex natura mandati sufficienter innotescunt. Quoad jura, evidens est 1° jus legationum ab ipsa natura tributum fuisse gentibus, siquidem debent inter se communicare; 2° jus mittendi legatos iis tantum competere penes quos residet suprema potestas (310) ;3° libertatem et inviolabilitatem legatis competere vi muneris, secus jus ipsum legationis destrueretur, et exinde jus naturale unius nationis communicandi cum altera læderetur. Inde consequitur legatos jurisdictioni gentis, ad quam mittuntur, minime subjici; præterquam quod repræsentant gentem quæ alteri non est obnoxia.

Non inde tamen sequitur legatum qui crimen admitteret contra gentem apud quam degit, non posse reprimi et extra civitatem ejici : inviolabilitatem utique sibi vindicat ratione muneris, quo tamen abuti nequit aliquid in perniciem gentis cui immitteretur, occulte vel publice moliendo. Jus legationis evidenter cedit juri societatis prospiciendi propriæ saluti : caute tamen contra legatum, insidiarum in gentem apud quam moratur, reum, procedi necesse est; imo expedit ut pœna, aut a proprio principe hujus legati applicetur, aut e gentis læsæ territorio pulsionem non ultragrediatur.

§ II. — De mutuis nationum juribus et officiis tempore belli.

343. — Ordinem socialem quo fruitur una gens, altera turbare potest, aliquid moliendo contra bona

aut personas seu membra istius societatis : tunc natio læsa in suis juribus media efficacia adhibere debet ut ab ulteriori damno se tueatur, et illud quod passa est resarciatur. Si legationes et media pacifica non sufficiunt, potest vim adhibere ad ordinis redintegrationem obtinendam. Tunc illæ gentes in statu conflictus violenti seu belli se constituunt.

Bellum a Cicerone definitur *certatio per vim*, et consimili Grotius rem definitione declarat, cum hoc tantum discrimine quod bellum, non actio, ut innuit Cicero,sed status dici debeat : « Usus, inquit, obtinuit ut non actio sed status eo nomine indicetur, ita ut sit bellum *status per vim certantium*, qua talis (1). » Sed illæ definitiones etiam privatum bellum, injustam aggressionem, imo et latrocinia comprehendunt, ideoque sunt rejiciendæ. Ex dictis de justa causa belli patet bellum recte describi posse : *Ordinis periclitantis violenta defensio ac redintegratio per illos qui supremam habent auctoritatem in diversis nationibus.*

Bellum dispescitur 1° in *offensivum* et *defensivum* prout vis infertur aut repellitur : qui hostem vi aggreditur gerit bellum offensivum; qui arma suscipit ad se tuendum, bellum gerit defensivum; 2° in *solemne* et *minus solemne*, ex ritibus qui declarationem initii hostilitatum comitantur.

344. — Thesis I. *Jus belli nationibus competit.*

Probatur I. Societates, non secus ac individuæ personæ, jura connata et absoluta potiuntur, quæ adjunctum habent *jus securitatis* ; sine enim illorum jurium assecuratione, propter corruptionem hominum, ipsa jura sæpe forent inania : ideoque jus securitatis, vi cujus homo pati non tenetur læsionem suorum jurium, competit personis physicis aut moralibus quæ jura habent; et illud jus securitatis importat jus indemnitatis, defensionis et præcautionis. Atqui jura societatum aliquando sarta tectaque esse nequeunt sine bello : malitia enim aliarum gentium proterve et contumaciter conculcari possunt. Ergo jus belli, quod tunc non est aliud nisi jus securitatis efficaciter exercitum, nationibus competit.

(1) De jure belli et pacis, L. I. c. 1, n. 2.

Probatur II. Securitas jurium particularium a civibus repeti potest ex ministerio judicum; inde cives, in statu conflictus, jurium læsorum redintegrationem obtinent ministerio tribunalium civilium; sed inter gentes nullus judex potest reperiri habens auctoritatem coactivam in litigantes : ergo remanet sors belli.

Itaque cum jura incolumia interdum servari non possint nisi urgendo jus securitatis, fit ut bellum quandoque sit unicum medium redintegrandi ordinem, reparandi damnum, ac proinde evadit medium justum.

345. — *Scholium.* Illud discrimen intercedit inter personam privatam et societatem, quod illa de jure suo aliquid cedere potest, virtutis amore, dum hæc aliquando naturæ officio adigitur ad jus violatum ab omni injuria tutum præstandum, ut bono communi sociorum consulat. Officium enim invigilandi felicitati omnium membrorum societatis incumbit summo imperanti, qui proinde nequit arbitrio suo bonum illorum aliis gentibus permittere (331). Jus belli respondet officio prospiciendi felicitati publicæ, et exinde penes supremam potestatem residet, quæ actus sociales exercet.

346. — Thesis II. *Ut bellum sit legitimum requiritur causa justa moraliter certa et necessitas proprie dicta.*

Probatur 1ª *pars.* Bellum trahit secum ingentia mala et duras calamitates; atqui tot et tantas ærumnas nemo inferre licite potest, nisi adsit causa gravissima et instans : lædere enim proximum vetatur, et illo officio naturæ omnes devinciuntur, principes et societates, non secus ac homines individui. Ergo, nisi adsit causa, et quidem gravissima, respectu boni publici, summi imperantes rei essent tot cædium et malorum quæ secum trahit bellum, et læsi juris naturæ, si bonum publicum ex necessitate non posceret tale medium. Et hæc causa debet esse ipsi principi bellum moventis *moraliter certa*, nam effectus sunt certi et gravissimi.

Probatur 2ª *pars.* Bellum est remedium extremum valde periculosum et in se odiosissimum; atqui nefas est istius modi remedia adhibere sine absoluta necessitate : quis enim medicus, v. g., in summo vitæ

ægrotantis discrimine vellet illi remedium periculosissimum dare, si aliud haberet? quod a fortiori valet, quando agitur de nationibus. Ergo quandiu superest alia via ad litigium finiendum, quantavis sit gravitas causæ, non licet bellum inferre.

347. — *Corollarium.* Inde etiam apparet necessariam esse præviam belli *declarationem*, quæ solemniter ostendat omnes vias pacificas incassum exploratas fuisse; alias inopinata esset aggressio quæ latronum propria est. « At belli æquitas, ait Cicero (1), sanctissime feciali populi Romani jure perscripta est : ex quo intelligi datur nullum bellum esse justum, nisi aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante sit et indictum ».

348. — Thesis III. ***Summi imperantes bellum gerere nequeunt nisi cum intentione pacis.***

Probatur. Rectus ordo postulat ut societates inter se pacifice vivant, et sibi mutuo auxilium ferant in vitæ socialis negotiis (329, etc.); atqui princeps qui bellum gereret sine intentione pacis, sed tantum ad tributa imponenda et ad incrementum territorii acquirendum, hunc ordinem naturæ evertere conaretur, ac proinde voluntatem moveret aversam a præceptis juris naturalis. Ergo.

349. — *Corollarium.* Ergo necesse est ut nunquam aditus ad pacem poscendam intercludatur, nec non ut bellator se facilem ostendat, quotiescumque ordo stabiliter redintegrari potest, et sufficiens satisfactio illi oblata est. Tamen, juxta plures, oblatione competentis satisfactionis ab una parte, altera non teneretur bella supersedere; ratio est quia ille qui, ante bellum, negaret præstare satisfactionem, se constituit in statu satisfaciendi per justitiæ vindicativæ executionem. Sed sententia opposita est æquitati naturali magis consentanea.

350. — Thesis IV. ***Bellum gerentes nequeunt plus damni inferre quam necesse sit ad finem belli obtinendum.***

Probatur. Jus belli in mera necessitate fundatur

(1) De Officiis, l. I. n. 11.

redintegrandi ordinem perturbatum [illegible] nibus justitiæ et humanitatis [illegible] generalissimæ, ligantur, [illegible] curationis commodi possunt. [illegible] inferret quam necesse [illegible] leges justitiæ et humanitatis [illegible] violaret : ex hypothesi [illegible] fons juris belli, [illegible] leges justitiæ [illegible] causa. Ergo.

351. — *Corollaria.* I. [illegible] pescenda est, præsertim [illegible] honestati et religionis sanctuaria [illegible] vastationes, hominum innocentium [illegible] etiam strictissima [illegible]. « Puerum ætas excusat, feminam sexus, » ait Seneca. Imo spoliatio innocentium [illegible] etiam *per se* illicita. Tamen si ad finem belli et ad victoriam necessaria per accidens esse, ejusmodi spoliatio fieret licita.

II. Hinc etiam illicita sunt venenatio armorum, annonæ, fontium, etc., quia bella virium robore, armis, consilio, non veneficiis paranda sunt.

III. Sequitur denique, parta victoria, saltem completa et decisiva, omnis violentiæ facultas cessat : damnum enim tunc inferretur sine ullo motivo. Itaque cessat præsertim jus occidendi quod belligerantibus tantum competit cum est unicum atque extremum medium ut superetur resistentia. Neque talis, neque præcedens contumacia resistendi, neque inferendus terror rationes sufficientes esse possunt fundendi sanguinis humani.

352. — Pœnas victis inferre quæ ad nationis victricis defensionem, incolumitatem ac redintegrationem in pristinum statum non essent necessariæ, nefas est. Si gens victa adeo esset pervicax ut nulla adsit securitas pro natione victrice quamdiu illa independens remanet, juste posset hac independentia privari et alterius ditioni subjici.

EXPLICIT ETHICA.

HISTORIÆ

PHILOSOPHIÆ

SYLLABUS

Origo philosophiæ potest considerari quoad ordinem possibilitatis et quoad ordinem realem et historicum.

1° Si de origine juridica quæras, facile reperies rationem humanam, quæ, non secus ac res omnes, ad se perficiendam necessario nititur, non posse diu agere quin ad rerum notitiam magis ac magis perfectam, seu ad earum cognitionem per causas deveniat : hoc modo spectata, philosophia haberetur ut naturalis evolutio rationis humanæ multis gradibus ascendentis a rerum sensibilium cognitione ad earumdem causas proximas et remotas; philosophia ergo, etiamsi homo sibi derelictus fuisset, diu desiderari non potuisset; et hanc veritatem negare idem est ac inficiari rationem humanam esse vim quamdam naturalem ad cognoscendum ordinatam.

2° Si de facto ipso quæramus, revelatione et ratione constat primum hominem divino beneficio philosophia simul et theologia imbutum fuisse. Deus non potuit primum hominem non instruere cognitionibus tum ad propriam perfectionem, tum ad progeniem rite edocendam necessariis; sed in ambitu illarum cognitionum protoparenti necessariorum ad proprium munus patris peragendum et ad finem attingendum, certo continentur quædam notiones philosophicæ. Præterea historia philosophiæ nobis exhibet in temporum exordio disciplinas naturales ipsi theologiæ implexas, ita ut sub tutela revelationis ab initio appareat philosophia.

Qua de causa, historia philosophiæ dum varias scholas enumerat, diversaque systemata refert, non constanter nobis exhibet lentum progressum ex sola industria humana partum, sed quandoque subitaneas evolutiones ope luminis supernaturalium revelationum effectas. Quamobrem agemus 1° de philosophia ante adventum Christi, seu ante revelationem christianam; 2° de philosophia postquam reluxit super mundum christiana revelatio. Hæc omnia quam paucissimis absolvemus : de indiculo enim qui vices præcipuas philosophiæ innuat, hic unice agitur.

SECTIO PRIMA.

DE PHILOSOPHIÆ HISTORIA A MUNDI INCUNABULIS AD SALVATORIS USQUE ADVENTUM.

In hac prima epocha philosophiam partiemur in orientalem et occidentalem.

§ I. — Philosophia vetus orientalis.

Philosophia orientalis dividitur pro ratione nationum quæ eam acriori studio excoluerunt : aliam enim quærere divisionem, præsertim ex analogia vel discrepantia systematum, ut conantur aliqui recentiores, esset labor plus quam inutilis, ac inanes cogitationes et figmenta volvere; hujus enim epochæ philosophi quasdam veritates referunt, sed in innumera devia hinc et inde aberrant, quin ullo pacto inter se conveniant. Sic breviter considerabimus 1° philosophiam Indorum ; 2° philosophiam Sinensium; 3° philosophiam Persarum, Chaldæorum, Ægyptiorum et Phœnicum.

I. Philosophia Indorum.

Philosophia indica in triplicem a nonnullis dispesci solet partem, scilicet in philosophiam orthodoxam, semi-orthodoxam et heterodoxam; agitur de orthodoxia ad normam quorumdam librorum sacrorum recenti ævo editorum qui *Vedas* dicuntur.

1° *Philosophia orthodoxa*, seu *Mimansa*, exordium ducit a revelatione; ejus enim objectum est interpretatio librorum sacrorum, seu Vedarum, ac proinde hæc philosophia tota est in determinando sensu revelationis. Fundator hujus scholæ interpretationis est *Djaimini*, qui sæpe in libris Soutras citatur. Philosophia Mimansa post quasdam disputationes psychologicas et logicas probare conatur æternitatem Vedarum, seu authenticam esse revelationem quam continent libri sacri.

Nomen proprium partis theologicæ Mimansa, est Vedanta, seu conclusio aut finis librorum Vedas (1). Mimansa ergo est nomen genericum hujus scholæ; et distinguitur Mimansa politica, et Mimansa theologica. Hæc philosophia docet Dei unitatem, ejus identitatem cum substantia universali et emanationem mundi a Deo (2), animæ spiritualitatem, animarum transmigrationem et æternitatem felicitatis finalis (3), etc.

2° *Philosophia semi-orthodoxa*, seu *Sankhya*, in libris Sankhya continetur : primus liber vocatur generatim Karika, qui est poema ex 144 versibus Karika conflatum; isti versus constituunt quoddam genus poesis in lingua sacra Indorum. Hoc autem poema cujus origo est plane incerta, alicui auctori, nomine *Kapila*, tribuitur, sed hoc nomen probabilius est ψευδὲς ὄνομα a vero auctore usurpatum. Liber Karika docet quamdam speciem sensualismi et atheismi (4).

Præter philosophiam Sankhya-Karika, alia existit doctrina Sankhya, quæ sub nomine Yoga-Soutra designatur. Hæc philosophia docet existentiam Dei et necessitatem quorumdam operum devotionis. Libri, in quibus continetur hæc doctrina, vocantur Sankhya-Pravatchana, atque philosopho *Patandjali* tribuuntur. At de hoc auctore, idem ac de Kapila dicendum est (5).

(1) Colebrooke : *Essais sur la philosophie des Hindous;* trad. Pauthier, Paris., 1833, pag. 151-152. — Frid. Windischmann : *Sankara, sive de theologumenis Vedanticorum.* Bonn. 1833, pag. 90 et seqq.

(2) Colebrooke, op. cit., pag. 163-167 et seqq. — Windischmann, op. cit., pag. 135 et seqq.

(3) Colebrooke, op. cit., p. 185, 190.

(4) Karika, trad. Barthélemy-Saint-Hilaire. — Colebrooke, op. cit. pag. 9 et seqq.

(5) Colebrooke, op. cit., pag. 32 et seqq.

Philosophia hæc vocari potest semi-orthodoxa quia aliquantulum libros sacros Vedas deseruit, ut rerum contemplationi liberius vacaret.

3° *Philosophia heterodoxa* seu *Nyaya*. Liber Nyaya, qui auctorem præsumitur habere *Gotama*, est quidam tractatus dialecticæ seu logicæ, cui adjungitur collectio aphorismorum seu *Sou ras*, a *Vyasa* in lucem educta (1). Datur alterum systema doctrinæ Nyaya quod vocatur *Vaïsechika* : constituit quamdam philosophiam atomisticam, quæ est veluti aliqua tractatio scientiarum physicarum et naturalium (2). Auctor hujus ultimi systematis Nyaya est *Kanada*.

Ad philosophiam heterodoxam revocari etiam potest aliud famosum systema, illud nempe quod tribuitur cuidam solitario Sakya-Mouni, vulgo Bouddha, vocato, cujus systematis permulti adhuc hodie apud Indos et Sinenses reperiuntur fautores (3).

De philosophia indica apud veteres fama atque existimatio fuit, ita ut qui sapientiæ cupidi erant, præsertim ex Græcis, necessarium sibi ducerent ad Indos excurrere. Quoad tempus quo prodierunt superius laudata systemata, recenter evulgata, et, ut opinor, cusa, nihil certi reperitur apud diversos auctores. Etsi Strabo, Plutarchus, Clemens Alexandrinus de religione, moribus et philosophia Indorum, multa nobis referant, tamen de libris et auctoribus hactenus recensitis nihil dicunt : imo non desunt in istis libris indicia intrinseca minime ambigua recentioris ætatis.

Ad veteres philosophos Indiæ quod attinet, scimus illos quoad partem dogmaticam, docuisse 1° Deum esse unicum, creatorem et administratorem universi; 2° animam, origine cœlestem, esse spiritualem, sed corpore indutam tanquam vestimento. Quoad partem moralem, docebant alteram vitam felicem iis qui recte

(1) Barthélemy-Saint-Hilaire : Mémoires de l'Académie des Sciences morales et politiques, t. VIII, p. 153 et seqq. — Soutras du Nyaya, trad. Barthélemy-Saint-Hilaire.

(2) Colebrooke, II° essai, pag. 54 et seqq. ; ibid. p. 71 et seqq.

(3) E. Burnouf: *Introduction à l'histoire du Bouddhisme indien*, 182. Barthélemy-Saint-Hilaire : *Le Bouddha et sa religion*. Paris, 1862. Cf. Colebrooke, op. cit.

philosophati sunt, quique multa exercitatione se ad mortem assidue præparati sunt.

II. Philosophia Sinensium.

In remotissima etiam antiquitate, philosophia apud Sinenses viguit atque splendide enituit, opere in primis *Ki-Tseu*, qui ante Christum ann. 1100 floruit. ***Lao-Tseu***, qui annis circiter 600 ante Christum vixit, sapientiam Sinensium perfecit præsertim, metaphysicæ operam dans, suamque doctrinam libris (1) qui adhuc exstant, sed non uno in loco interpolati, mandavit. ***Confucius***, qui 50 annis post Lao-Tseu inclaruit, aliam scholam fundavit, quæ adhuc etiam permanet. In disciplinam moralem potius incubuit (2). Deum unum ac supremum profitetur. Inter discipulos Confucii annumerantur *Tseng-Tseu* et *Meng-Tseu* sub nomine Mencii cognitus (3). Hujusce ultimi liber una cum libris Confucii *quatuor libros scholares* (*Ssèchou*) efformat.

III. Philosophia Persarum, Chaldæorum, Ægyptiorum et Phænicum.

I. Inter philosophos Persarum eminet *Zoroaster*, qui ævo Darii Hystaspis filii, vivebat : suam doctrinam carminibus suis celeberrimis, quibus titulus est Zend-Avesta, mandavit. De primis causis Zoroaster hæc dogmata refert : Ex tempore, quod est ens æternum, profluxerunt duo principia, scilicet principium omnis boni, *Ormuzd*, et principium mali, *Ahriman*; ab Ormuzd condita fuerunt cœlum et terra, ab Ahriman, tenebræ. Quoad moralem, cultum ignis, cui jam vacabant Persæ, Zoroaster novis firmavit institutis (4).

II. Inter philosophos Chaldæorum computandus est ***Berosius***, qui tempore Alexandri Magni viguit, atque Græcos astrologiam docuit, necnon aliquam edidit

(1) *Tao-te-King*, seu *Liber de via et virtute*, trad. Stanislas Julien, Paris, 1842.

(2) Cf. inter opera Confucii librum cui titulus : *L'invariable milieu*, trad. Abel Rémusat.— Pauthier : *Les livres sacrés de l'Orient*. P. Couplet, S. J. *Confucius, Sinarum philosophus*. Paris, 1687.

(3) Meng-Tseu, edit. Stanislas Julien. Paris. 1824.

(4) Diogenes Laert. *De vitis, dogmatibus et apophthegmatibus clarorum philosophorum*. Introductio. *Zend-Avesta*, in gall. ling. transalt. Anquetil-Duperron. Paris. 1771.

cosmogoniam. Solem et lunam ac sidera Chaldæi divino cultu prosequebantur, qui cæteroquin unitatem Dei agnoscebant (1).

III. Origo philosophiæ apud Ægyptios a *Thot Trismegisto* repetitur, qui a Græcis, Hermes, a Latinis, Mercurius vocatur. Philosophorum Ægyptiorum duplex est theologia : vulgaris una seu *exoterica*, altera mystica seu *esoterica;* prior cultum divinum fædissimis animalibus decernit, altera multas veritates de Deo et anima humana referebat (2).

IV. Tandem quoad Phænices, licet *Sanchoniaton* rebus historicis magis quam philosophicis operam impenderit, inter philosophos tamen jure annumeratur; tractavit enim de origine mundi seu cosmogoniæ systema edidit (3).

§ II. — Philosophia occidentalis.

Incunabula philosophiæ in Oriente fuerunt. Sed ex Oriente philosophia actutum migravit in Occidentem, in quo præsertim sub ingenio græco rationalibus disciplinis proclivi ita mentes distinuit ut sapientia græca oblivioni omnes scholas anteriores dederit.

Adhuc ergo disputandum est de philosophia occidentali ante propagationem fidei catholicæ; leviter tamen attingemus varia systemata, seu delineabimus, ut ita dicam, varias scholas, quæ cæteroquin inter se sæpe non differunt nisi quia alias ineptias et absurditates congerunt.

Philosophia occidentalis ante diffusionem religionis christianæ, seu antequam fuisset Christianismo imbuta, ac proinde ad gradum longe perfectiorem provecta, potest dividi in philosophiam Græcam et Græco-Romanam.

(1) *Berosi fragmenta.* — Bruker : *Hist. crit. Phil.* t. I cap. II. Cf. Fr. Lenormant : *Essai de commentaire des fragments cosmogoniques de Bérose*, 1872.

(2) Champollion : *L'Egypte sous les Pharaons.* — Plutarchus : *De Iside et Osiride*, c. XXI. — *Hermes Trismegistus*, apud Patrizzi : *Nova de universis philosophia.* — Heumann : *De philosophia antiq. Ægyptiorum.*

(3) *Sanchoniaton fragmenta* apud Euseb. : Præpar. evangel.

I. De veteri philosophia græca.

Hujus philosophiæ præcipuas scholas enumerabimus, quarum characterem proprium conspiciemus.

I. Ante SOCRATEM quatuor sunt notiores scholæ : ionica, italica, eleatica et sophistica.

1° *Ionica schola*. — *Thales* (600 ante Christ.) postquam celeberrimas orbis plagas peragrasset ad philosophiam discendam, ad consulendos homines scientia nobiles et claros, scholam ionicam fundavit. Non modo magna scientia et doctrina pollere perhibetur hic philosophus, sed etiam virtutibus civilibus; unde inter septem Græciæ sapientes connumeratur. Erat scientiis physicis, pro ratione suæ ætatis, consultissimus : sua enim ratio philosophandi ideo erat ut naturæ spectabili contemplandæ maxime operam conferret : mirum ergo non est illum fuisse empirismo propensiorem. Mundum concipiebat velut ens vita præditum quod ad modum animalis sese evolveret; germen mundi, sicut et omnium viventium, juxta ipsum, est aqua, quæ cum sit elementum quoddam humidum et instabile, sese sponte naturæ in mundum evolvit. Est ergo systema aliquod dynamicum (1).

Thaleti successit *Anaximander*, pariter Milesius, qui docebat infinitum (ἄπειρον) esse principium mundi : quid per infinitum intellexerit, prorsus incertum est (2). Tamen ejus discipulus *Anaximenes* docet illud infinitum esse aerem, qui est ipsè Deus (3).

Inter scholæ ionicæ philosophos, saltem ratione patriæ, annumerari potest *Heraclitus* Ephesius (500 ante Christ.). Ejus doctrina est ut in igne videat principium et substratum omnium rerum : opinabatur etiam animas et dæmonia, quibus mundus impletur, ignis naturam habere (4).

2° *Italicæ scholæ* initium dedit Pythagoras (500 ante

(1) Diogenes Laert. : op. cit. I, 27. Cf. Ploucquet : *De dogmatibus Tahletis Milesii*. Tubing. 1763. — Aristoteles. : *Metaphysica*, I, 3; *De cælo*, II, 3.

(2) Aristot. *Physica*, I. 4; VIII. 1. — S. Augustin. *De civ. Dei*. l. VIII, c. 2.

(3) Diog. Laert. — II, 3. Arist. *Metaph*. I, 3. — Cicero : *De nat. deor*. I. 10.

(4) Arist. *Metaph*., I, 7. — Plato. *Theætet*. — Clem. Alexandr. *Stromat*., l. V.

Christ.), qui post longinquas peregrinationes Italiam appulit, atque Crotone non tantummodo gymnasium adaperuit, sed etiam quamdam societatem rigidissimam fundavit, in quam nemo coaptari poterat nisi post longum tirocinii seu probationis tempus. Conditio enim præcipua hujus novitiatus in eo erat ut altum silentium per plures annos servaretur. In duplicem ergo classem partiebantur Pythagoræ discipuli; nonnulli enim erant qui, peracta probatione, veluti solemniter adscripti erant, ac proinde loqui poterant; aliis tirocinium peragentibus loquendi potestas non impertiebatur. Huic duplici alumnorum classi non eadem tradebatur disciplina, quæ propterea duplex erat, *exoterica* seu publica una, et *esoterica* seu privata altera, quæ initiatis tantum perhibebatur (1).

Pythagoras autem acriore præditus ingenio ab empirismo ionico se exsolvit; in spiritualismum magis inclinans, rationalismo et idealismo maximopere indulsit. Mathesim, cui maxime se tradidit, magno cum profectu excoluit. Quoad doctrinam specialem scholæ pythagoricæ, vix aliquid certi determinari potest. Docuisse creditur numeros esse principia rerum, necnon Deum, qui, juxta ipsum, est numerus simplex et monas, esse purum spiritum in omnibus mundi partibus effusum (2); metempsychosim etiam professus est (3).

Empedocles Agrigentinus (460 ante Christ.) sibi proprium systema finxit : docebat expresse quatuor dari elementa mundi sensibilis, terram, aquam, aerem et ignem; in hoc ultimo ponebat principium vitæ (4). Mundum, quem habebat ut emanationem unitatis divinæ, distinxit in sensibilem, κόσμος αἰσθητός, et intelligibilem, κόσμος νοητός, prioris typum (5).

3° *Schola eleatica.* — *Xenophanes*, patria Colophonus, qui ante Christum circa annum 530 floruit, hanc novam

(1) Aristoxen. apud Diog. Laert. VIII, 8.

(2) Arist. *Metaph.* I, 3, 4, et seqq. — Jamblic. *Vita Pythag.* c. 12. Sext. Empir. *Adv. Math.* IX, 127. — Diog. Laert. VIII, 37.

(3) Plutarch. *De placit. phil.* I, 3, 7 — IV, 7. — Arist. *De anima*, I, 3.

(4) Arist. *Metaph.* I, 3 — III, 4.
Cf. *Fragmenta philosophorum gr.* (Paris, Didot, 1857) vers. 159 — 180.

(5) Simpl. *in Arist. Phys.* — Emped. fragm. ed. Sturz, passim.

scholam fundavit. Ad origines rerum vestigandas potius incumbens, ideoque empirismo ionico atque idealismo italico utens, ultra tamen progredi voluit, ac de omnibus rebus existentibus rationem reddere conatus est. Deum cognoscebat, quem tamen cum ipso mundo ita permiscebat ut Deum et mundum in unum et idem redigeret : in verum igitur pantheismum lapsus est, hoc principio innixus : quidquid est, semper fuit, quia ex nihilo nihil fieri potest (1).

Deo formam sphericam tribuebat, quia hæc forma omnibus cæteris perfectior est (2). Negat itaque mundi contingentiam et multiplicitatem rerum; una tantum existit vis dynamica, Deus vocata, quæ multipliciter sese diffundit et manifestat, et præterea locum dat omnibus phænomenis tum internis, tum externis (3). Quatuor dari elementa tradidit (4). Eleatici cognitionem explicabant per atomos seu emanationes rerum quarum ideæ erant imagines, seu εἴδωλα; quæque atomi organa penetrantes ad animam usque perveniebant.

Parmenides, Xenophanis discipulus, et *Zeno* Eleates pantheismum scholæ Eleaticæ, prior carminibus (5), alter obscuris, et non raro pugnantibus dialecticæ subtilitatibus, docuerunt. Hic ultimus plura et quidem putida adhibuit argumenta, quæ tamen apud Græcos erant celeberrima, ad motum localem quemcumque negandum (6). Habetur ut parens dialecticæ, qua usus est ut viam sterneret scepticismo.

Alii Eleatici physicæ magis quam metaphysicæ operam contulerunt : *Leucippus* (450 ante Christ.) quemdam materialismum invexit, et mundi existentiam formamque ope trium explicabat, nempe per atomos seu elementa indivisibilia, spatium vacuum (το κενον) et motum (7).

(1) Arist. *Metaphys.* I, 3, 5.

(2) Arist. *Liber de Xenoph.* c. III.

(3) Arist. *Metaph.* I, 5. *Phys.* I, 3, 8.

(4) Diog. Laert. op. cit. IX, 19. Cf. Sext. Emp. *Hyp. pyrrh.* II, 30.

(5) Fragm. oper. Parm. ap. Fulleborn. v. 45 et seqq. — Arist. *Met.* I, 5. Cf. Plutarch. *De plac. phil.* I, 24 — Sext. Emp. *Adv. Math.* X, 46. Plat. Dial. *Parmen.* et *Sophista.*

(6) Arist. *Phys.* VI, 9. — Cf. Bayle *Diction.*

(7) Arist *Phys.* IV, 3. — *De cælo*, III, 4.

Democritus Abderites (490 ante Christ.) tandem philosophiam atomisticam coluit (1), scepticismum docuit (2) et præterea, quoad partem moralem, docuit felicitatem hominis consistere in perfecta animi quiete nullo affectu perturbata (3).

4° *Schola sophistica.* —Hæc varia scholarum præcedentium systemata inter se opposita, quorum alia philosophiam tradebant declivem in empirismum ionicum, alia in rationalismum mysticum Pythagoræ, alia tandem in rationalismum magis excultum et profundum Eleaticorum, dubium, incertitudinem genuerunt : inde in innumeras et inanes disputationes deflexit philosophia. In sophisticam ergo degeneravit, quæ veteris philosophiæ principia plus minusve diruebat; sed fuit impar ad quamcumque scientiam exstruendam, seu ad novam disciplinam veteribus systematibus sufficiendam. Ex numero sophistarum celeberrimi fuerunt *Protagoras* et *Gorgias*. Gorgias, Leontii, Siciliæ urbis, natus (440 ante Christ.), Athenis dialecticam tradidit, et de re quacumque pugnantia seu contradictoria obtinere gloriabatur (4). Eodem tempore Protagoras, Abderites, eloquentiæ fama Athenis illuxit : docuit cognitionem humanam esse mensuram omnium rerum. (5) Hæc schola, licet sæpius in vanas prolapsa disputationes, aliquid tamen contulit scientiis philosophicis, eo quod ineptias omnium doctrinarum præcedentium detexit erroresque magis patefecit.

II. Socrates, qui a Tullio philosophiæ parens vocatur, Athenis illuxit (470 ante Christ.). Ea omnia quæ pertinent ad ejus genus, vitam et mores, non quidem semper philosophicos, omnibus nota sunt, et propterea non est cur in iis referendis immoremur. Hic philosophus considerans ex una parte quantopere increbuisset sophistarum impudentia et audacia, inde et scepticismus, et ex altera parte persentiens inanitatem doctrinarum a

(1) Arist. ibid. — Diog. Laert. IX, 44. — Cicer. *De nat. Deor.* I, 24.

(2) Sext. *Adv. mathem.* VIII, 137.

(3) Cic. *De fin.* V. 8, 29. — Diog. Laert. IX, 45.

(4) Plat. Dial. *Gorg.*, *Phæd.*, *Meno.*, — Sext. *Adv. math.* VII, 65.

(5) Plat. *Protagor.* — Arist. *Metaph.* X, 6. — Cic. II *Acad.*, 46.

veteribus scholis traditarum novam et quidem celeberrimam methodum induxit (1) atque philosophiam revocavit ad disciplinam qua traderetur norma honeste vivendi : scientiis ergo moralibus magis addictus fuit, et virtutum moralium, prudentiæ, temperantiæ, etc., praxim assidue commendavit (2). Deum supremum, fontem totius ordinis moralis et ab universi concordia et unitate manifestatum, objectum obsequii nostri, cognoscebat (3), tamen, instante morte, Esculapio gallum sacrificavit. Immortalitatem animi etiam docuit.

Ex Socrate variæ exortæ sunt scholæ, quæ, seclusis academica et peripatetica, ad quatuor revocari possunt.

1° *Cyrenaica* secta auctorem habuit *Aristippum*, qui ex nobilissimo genere ortus, in prima sua juventute totum se libidinibus dedit; sed deinde a Socrate correptus, philosophiæ operam dedit, aliquid tamen veteris vitæ retinens (4); inde bonum collocavit theoretice in voluptatibus sensualibus (5); criterium veri et falsi reposuit in affectionibus voluptatis aut doloris præsentibus (6). Ejus effatum erat : uti præsenti, de futuro vel de præterito minime curare. Cyrenaici merito vocantur ἡδονικοί, voluptuosi.

2° Altera schola a Socrate orta, est secta *megarica*, cujus fundator fuit *Euclides*, qui philosophiam eleaticam magna ex parte adoptasse videtur (7); sed dialecticæ magis addictus, cæteras scholas adoriri potius conabatur quam particularem doctrinam in medium afferre. Unde Megarenses constituebant veluti quamdam scholam jurgiosam : qua de causa ἐριστικοί, seu jurgiosi, vocati sunt, qui alias nonnisi per quædam argumenta captiosa cognoscuntur (8).

(1) Cic. *de Orat.*, III, 6.—Diog. Laert. op. cit.—Arist. *Metaph.*, XII, 4.

(2) Xenoph. *Memorab.* II, 1. IV, 2, 5. et passim. — Arist. *Eth. Nicom.* VI, 13.

(3) Plat. *Apol. Soc.* c. XV, div. Dial. passim. — Xen. *Memor.* I, 2. IV, 3, 4.

(4) Diog. Laert. op. cit. II. 66 et seq.

(5) Diog. Laert. II. 88, 89. — Sext. *Adv. Math.* VII. 199.

(6) Diog. Laert. ibid. — Sext. ibid. VII. 191. — Cic. *Acad.* XIV, 46.

(7) Cic. *Acad.* IV. 42.

(8) Diog. Laert. II. 106.

3° *Schola eliaca, Phædone* duce, præcedenti valde affinis est quoad præcipuas doctrinas. *Menedemus* placita hujus scholæ in Eretriam, suam patriam, transtulit; inde eadem schola etiam eretriaca appellari solet (1).

4° *Schola cynica.* — *Antisthenes* hujus scholæ fundator in philosophiam sophisticam imprimis incubuit, seu doctrinis Gorgiæ ab initio operam dedit. Sed postquam Socratem noverit, ei fideliter sese adstrinxit. Ad severitatem exaggerationemque naturaliter proclivis, in corripiendis moribus et commendanda virtute operam assidue contulit; at in hoc opere tanta acerbitate usus est ut fere ab omnibus a habitus fuerit tanquam canis, semper ad latrandum et mordendum pronus : inde venit nomen scholæ *cynicæ* (2).

Totam hominis perfectionem collocabat in recto rationis usu (3), et propterea bellum acerbum indixit luxui et mollitiei. Talis autem rigiditas plerosque ejus discipulos fugavit: *Diogenes* tamen illi constanter adstrictus mansit. qui inter cynicos fuit in tota antiquitate celeberrimus (4).

Cynicæ sectæ propago est Schola stoica, cujus conditor fuit *Zeno*, Cratetis cynici discipulus (340 ante Christ.); hæc schola a porticu, græce στοα, sic nuncupata, celeberrima evasit, atque omnibus hucusque numeratis socraticæ sectæ surculis superstes vixit. Sapientiam definiunt Stoici scientiam rerum divinarum ac humanarum, atque in tres partes, nempe in physicam, logicam et moralem (5) distribuunt. Sed huic ultimæ parti præsertim incumbunt (6).

In physica statuunt quemdam pantheismum, in morali vero fatalismum et celeberrimum principium extollunt *apathiæ* (7).

(1) Diog. Laert. II, 125 et seqq. — Cic. *Acad.* II, 42.

(2) Diog. Laert. VI. 1-18.

(3) Diog. Laert. VI. 11, 103-106 et passim.

(4) Diog. Laert. VI. 70-74.

(5) Diog. Laert. VII. passim. — Senec. *Epist.* 88 — Plutarch. *De stoic. repugn.* 342, et *De placit., phil.* procem.

(6) Senec. *Epist.* 65. —Diog. Laert. VII. 137 et seqq.

(7) Cic. *De fin.* III, 3, 4 et seqq. *Acad.* I, 10.

III. Plato et Aristoteles.—Sectæ hactenus enumeratæ fuerunt, ut minoris famæ, ita et brevioris ætatis. Quæ ex Socratis schola prodierunt multo celebriores academica et peripatetica evaserunt.

Plato (natus 430 ante Christ.) omnes Socratis discipulos nominis fama et philosophiæ laude longissime antecellit, imo et omnes antiquitatis philosophos, excepto forsan Aristotele, ita ut ejus doctrina, etiam post lucem fulgentem revelationis, a Patribus Ecclesiæ, Augustino præsertim, laudata sit, et partim acceptata, remotis tamen non paucis erroribus et absurditatibus quibus immixta erat.

Athenis autem docuit in horto qui Academia vocabatur; unde profluxit ipsum nomen quod Scholæ academicæ datum est (1), In suis omnibus disputationibus dialogi modum servabat; quique modus ad scholasticam formam argumentationis prope accedit.

Quoad ejus doctrinam præcipua puncta paucis referemus: in *Phœdone*, animi immortalitatem copiose probat, et simul suum errorem de præexistentia animarum (II, 133) profert; sed cardinem suæ philosophiæ posuit in contemplatione idearum seu mundi sensibilis exemplarium per se existentium (2).

Plato igitur docet ideas, præter realitatem quam in cognoscente habent, aliam existentiam propriam independenter ab omni subjecto cognoscente, habere (II, 248). Sunt substantiæ ab omnibus rebus materialibus, quibus tamen realitatem communicant, separatæ (3). Nonnulli in scriptis Platonis, qui cæteroquin clare loquitur de unitate Dei, quædam vestigia mysterii sanctissimæ Trinitatis ostendere sategerunt : equidem de verbo divino loquitur; sed quomodo accipiat istum λογον, nullo modo constat (4).

Ejus rationem scribendi inter prosam et poeticam, mediam esse jam Aristoteles notavit; et hæc dictio

(1) Diog. Laert. III.

(2) Div. dial. Plat. : *Tim.*, *Phœdo. de Repub.*, *Parmenid.*

(3) Aristoteles, S. Justinus et Tertullianus ita systema Platonis explicant. S. Augustinus et plerique neoplatonici dissentiunt — Cf. S. Thom. *De anima* l. I. 4. — *Sum. th.* I. 76, a. 9.

(4) De oper. et doct. Plat. cf. Arist. *De anima* et *Metaph.* passim. Thom. *Sum. th. Metaph.*, *De anima*, passim.

doctrinam reddit obscuram ambiguamque, ita ut difficulter ejus mens queat determinari; inde etiam fit ut in Platone, quidam ejus admiratores insignia pronuntiata inveniant, præsertim quoad partem psycologicam. Suas sententias Plato miris explicuit ambagibus, et ipse Aristoteles, ejus discipulus, arcana de ideis somnia vocare ausus est τερετισματα (1).

In turpissimos errores contra legem naturalem lapsus est; perversissimam morum doctrinam in quibusdam libris, præsertim in sua *Republica* inculcat, etsi alibi doceat illud solum esse bonum quod est honestum, virtutem per se esse eligendam, et finem scientiæ esse nos Deo ipsi, quoad homini possibile est, assimilare, etc. (2).

Aristoteles. Natus est iste philosophus Stagiræ, Thraciæ in urbe (385 ante Christ.). Medicinæ in primis operam contulit; deinde philosophiæ se dedit; ad Platonem ergo venit, et viginti annos Academiam frequentavit. Adeo vero judicii quo pollebat acumine et ingenii elegantia se Platoni commendavit, ut ab isto vocaretur mens schol . Nonnulli veteres a Diog. Laertio relati (3), tradunt ortas fuisse dissensiones inter Platonem et Aristotelem : tunc discipulus sophisticis quæstionibus et insidiis magistrum adoriebatur, ac demum ab illo sese segregavit et scholam particularem fundavit, quæ Lyceum vocata fuit, ex loco Athenarum ubi Stagirita docebat.

Prælectio seu præceptio matutina modo omnino scientifico tradebatur, atque versabatur circa quæstiones arduissimas. Vocabantur istæ disputationes λογοι αχροαματικοι, sed pro initiatis et electis tantum. Disputationes vespertinæ, magis ad vulgi sensum accommodatæ, vocabantur λογοι ἐξωτερικοι, seu sermones ab omnibus audiendi. Ex hac duplici ratione docendi venit partitio librorum Aristotelis in ἐξωτερικα et αχροαματικα.

Sicut Plato in synthesim et idealismum, ita Aristoteles in experientiam et analysim magis propendet.

(1) Arist. *De anima*.

(2) Plat. *Tim.*, *De Repub.*, passim.

(3) Diog. Laert. v.

Exstant magni ingenii Aristotelis specimina, scripta ejus, quæ sunt vel *logici* argumenti, — ut Categoriæ, De interpretatione nominum et verborum Analyticorum priorum et posteriorum libri, Topicorum libri octo, De sophisticis elenchis; — vel *physici*, — ut Physicæ auscultationis libri octo, de Cœlo libri quatuor, de Generatione et corruptione libri duo, de Meteoris libri quatuor. de Anima libri tres, etc; — vel *metaphysici* et *mathematici* generis; — vel *ethicam* doctrinam exponunt, ut Ethicorum ad Nicomachum libri decem, Magnarum moralium libri duo, etc.; — vel denique Rhetoricam exhibent.

Aristoteles philosophiam distribuit in *theoreticam* et *practicam* : theoreticæ, quam dividit in *physicam* et *metaphysicam*, addit tanquam instrumentum *logicam*. Practicam partitur in *ethicam*, *politicam* et *œconomicam*. Cum ejus philosophandi ratio nihil aliud sit quam communis sensus ad severiorem doctrinæ methodum redactus, a sapientissimis scholæ christianæ principibus plurimi facta fuit. De ejus doctrina, passim et quantum satis est, locuti sumus.

IV. Pyrrho et Epicurus.— Sub id temporis exortus est etiam Pyrrhonismus, a conditore suo *Pyrrhone* (1), qui scepticismum absolutum, seu dubium universale, professus est (2) : hæc secta dicitur etiam sceptica σκεπτικη, eo quod semper inquirat et nihil unquam inveniat. Alia etiam schola, non minus insolita et absurda, sed a sana ethica magis abhorrens, Epicuro (300 ante Christ.) auctore (3), subiit, quæ finem hominis reponebat in voluptate, et animam esse corpoream et cum corpore interibilem docebat (4). Epicurus Athenis scholam aperuit discipulorum concursu frequentem, quæ et fama doctrinæ simul et infamia morum claruit.

Ex Socrate igitur multæ exortæ sunt scholæ plus minusve perfectæ ac durabiles. Præclariores et diuturnio-

(1) Diog. Laert. IX. 61 et seqq.

(2) Euseb. *Præpar. evang.* l. XIV, 18. — Sext. Emp. *Pyrrhon. hyp.* I.

(3) Diog. Laert. X 14 et seqq.

(4) Diog. Laert. X. 64, 65. — Cic. *De finibus*, I, 9. — Cf. Clem. Alex *Strom.* l. II, 21. — Gassendi : *Syntagma phil. Epic.* passim.

res ad quatuor revocari possunt, scilicet 1° ad academicam, 2° aristotelicam, 3° stoicam, tandem 4° epicuream.

II. De Philosophia græco-romana.

Philosophia ex Græcia Romam migravit. Philosophi autem Romani non peculiares scholas instituerunt; sed sapientiæ græcæ addicti, alii unam, alii alteram scholam ex quatuor superius enumeratis sectati sunt.

1° Præstantissimum epicureæ philosophiæ monumentum *Lucretii* carmen est (1), qui placita Epicuri eleganti puraque scribendi ratione exposuit; 2° in Stoicorum placitis exponendis eminent *Seneca* (2) et *Epictetus* (3); 3° tandem in philosophia aristotelica simul et platonica, *Cicero* magis versatus, has disciplinas splendide exornavit sermone pereleganti quo adeo pollebat. In morali, doctrinæ Stoicæ addictus præsertim fuit, atque in ea magis delectabatur. Multa opera philosophica scripsit : Quæstiones academicæ, De finibus bonorum et malorum, quinque libri Quæstionum tusculanarum, De natura deorum, De divinatione, De fato, De senectute et De amicitia paradoxa, De officiis, De Republica et De Legibus. 4° Denique ad scholas Græco-Romanas revocari potest *Sextus Empiricus* (4) (123 post Christ.), Græcus, qui scepticismum ad formam scientificam redegit.

SECTIO II.

DE PHILOSOPHIA POST ADVENTUM CHRISTI.

TRANSITUS. — PHILOSOPHIA GRÆCO-ORIENTALIS.

I. Adhuc ergo agendum est de philosophia postquam a luce evangelica ad gradum longe perfectiorem

(1) *De natura rerum.*

(2) Senec. *Quæst. nat.* II, VII. — *Epist.* passim — *De const. sap.* 7, 8, 9. ap. Lactant. *Divin. Instit.* I, III. passim.

(3) Arrian. *Manuale Epict.* passim. *Dissert. Epict.*, II, 7 et seqq. IV, et passim.

(4) Diog. Laert. IX. 116 et seqq. — Sext Emp. *Pyrrh. hyp.* et *Adv. Math.* passim.

evecta fuit, atque ab omnibus spurcitiis seu scoriis idololatriæ expurgata. Sed ad historiam sapientiæ græco-orientalis, pertinet narratio sectarum philosophicarum quæ tempore Christi apud Judæos vigebant. Temporibus enim antiquioribus Judæi erant custodes et interpretes divinæ revelationis; et exinde apud eos non viguit philosophia a theologia distincta.

Verum paulo ante Christi adventum, tres fuerunt sectæ præcipuæ in Judæa, nempe *Pharisæorum*, *Sadducæorum* et *Essenorum* (1) quarum origines sunt obscuræ et fundatores ignoti. Pharisæi, præter legem scriptam, admittebant quamdam traditionem oralem a Moise, ut aiebant, in monte Sinai acceptam. Eorum vita externæ sanctitatis specie splendebat, ut plebis studium sibi acquirerent. Sadducæi, rejectis legibus et traditionibus omnibus scripto non comprehensis, solum Pentateuchum recipiebant, et negabant angelorum existentiam, animæ immortalitatem, corporum resurrectionem.

Esseni, saltem ii qui Therapeutarum nomine innotuerunt, quamdam vitam perfectiorem ducebant, non multo diversam ab illa quam nunc gerunt instituta religiosa ac monastica. De eorum doctrina nihil certi ac rati habetur.

II. Nunc a Judæis ab alios orientales convertimur, qui post Christi nati tempora philosophiæ operam contulerunt.

Verum, inter philosophiam ætatis anteactæ, seu mere ethnicam, et philosophiam vere et perfecte christianam, invenitur schola quædam intermedia, quæ *eclectica* aut *neoplatonica* vocatur. Hæc autem prima Schola alexandrina religionem catholicam sese diffundentem adoriri ac diruere conata est. Ejus ratio philosophandi in eo erat ut omnes alias scholas ad unitatem redigeret; et quamvis contra religionem catholicam acriter operam navasset, tamen christianismo veluti imbuta jam apparet; unde omnium veterum scholarum vestigia deseruerunt philosophi alexandrini, et ad quoddam systema selectum inter varias disciplinas devenire contenderunt; sed eorum modus philosophandi, syncreticus,

(1) Joseph. *Antiq. jud.*

potius quam eclecticus, eos ad absurdissimum mysticismum deduxit, quo tamen imitari conabantur verum mysticismum christianum.

Potamon huic scholæ initium dedit : de vita et tempore Potamonis nihil certi reperitur apud varios auctores qui de eo loquuntur; habetur ut Plotini magister. *Plotinus* (250 post C. N.) doctrinæ a Potamone traditæ suas revelationes addidit, eamque suis fucatis portentis et miraculis exornavit (1).

Præstantiores itaque philosophi hujus scholæ sunt Plotinus, et post eum. *Porphyrius* (2), *Jamblicus* (3), qui inter suos discipulos Julianum Apostatam habuit, *Plutarchus* et *Proclus* (4), qui in eo tantummodo conveniebant quod impugnare volebant veterem philosophiam, atque omnia systemata ad aliquam doctrinam constantem uniformemque redigere. Talis autem doctrina, aliis omnibus emendatior, ut putabant, non tantummodo theoretice proponenda erat, sed etiam religionem quamdam constituere debebat.

Præter hanc communem conspirationem in electiorem philosophiam, inter se veteres Neoplatonici circa alia puncta longe differebant, unus autem Platonismo, alter Stoicismo vel alii disciplinæ magis addictus. Hic ergo eclectismus recto nomine syncretismus vocari debet, siquidem non raro vim doctrinis inferebant ut ex omnibus quoddam systema consarcinarent; ad gnosticismum (γνωσιν) ergo pervenit, qui fuit error valde implexus, ex mysticismo sectarum orientalium et ex philosophia græca conflatus.

Hæc informis omnium errorum commixtura eo magis incrementa sumpsit, quo in Ægypto, maxime Alexandriæ, tot diversarum religionum hominibus scatente, omnis generis placita facilius recepta erant.

(1) Plotin. *Ennead.* — Porphyr. *Vita Platin.* passim — Cf. Euseb. *Hist. eccl.* — Eunap. *De vitis phil. et soph.*

(2) Porphyr. *Isag.*, *De anima*, passim. — Cf. S. Aug. *de Civ. Dei.* XIX, 22 et seqq.

(3) Eunap. *De Vit. sophist.* — Stob. *Eclog. phys.*, t. I. c. 52. Auctor op. *De mysteriis* S. I, c. 1.

(4) Marin. *Vita Procli*, passim.

PHILOSOPHIA CHRISTIANA.

Pervagati sumus brevi tractatione totum philosophiæ ethnicæ campum præsertim ante natum mundi Redemptorem. Restat ergo ut historiæ philosophiæ partem enarremus quæ ejus actis inter Christianos constat. Religio christiana, quæ Deum ipsum auctorem habet, totius philosophiæ, etiamsi rectæ, limites longe supergressa, et lumine quo nititur, infinite præstans, super omnia philosophorum εὑρήματα, seu inventa, toto discrimine eminet quod reperitur inter ordinem supernaturalem et naturalem.

Philosophia christiana in triplicem epocham dividi debet : *prima* epocha sæcula complectitur ab ipso religionis christianæ exordio usque ad medium ævum; *secunda* a media ætate se extendit usque ad hæc tempora in quibus acriter impugnata fuit philosophia scholastica, quæ autem tempora, et quidem vere si per antiphrasim, vocata fuerunt *innovationis philosophiæ; tertia* tandem epocha ab eversione scholasticæ per protestantismum et naturalismum usque ad hodierna tempora spatiatur.

§ I. — Ætas SS. Patrum Ecclesiæ.

In principio proponebatur religio christiana ut doctrina omnino supernaturalis, quæ proinde omnimodam fidem exigebat; disputationibus humanis non subjiciebatur, sed humiles, simplices et puri corde hanc sublimissimam doctrinam consequebantur, quæ sapientes sæculi et inani superbia inflatos transcendebat fugiebatque.

Sed deinde in decursu temporis postquam longe lateque divulgata fuerat, philosophorum calumniis et fallaciis, sicut et cruenta Imperatorum insectatione, fuit impugnata; sed doctores Ecclesiæ doctrinas et argutias ethnicæ philosophiæ retruserunt et omnes sophistarum impetus propulerunt. Ex istis controversiis in lucem edita est philosophia christiana proprie dicta.

Venio igitur ad historiam philosophiæ christianæ, quæ cum ipsa historia dogmatum intime conjungitur, ita ut complete tradi nequeat hæc historia quin simul in

memoriam revocetur illa evolutio dogmatis per diversas ætates. Summa rerum fastigia sequemur, seu rem quam brevissime attingemus.

Patres Ecclesiæ vel sibi et privatim philosophiam christianam in suis scriptis tradiderunt, vel ad quasdam scholas pertinuerunt.

Patres generatim dividuntur in Latinos et Græcos:

I. Apud Latinos non inveniuntur scholæ proprie dictæ, sed Patres Latini privatim philosophati sunt. Nulli prope fuerunt apud Latinos christiani scriptores duobus prioribus sæculis. Tertio vero eminent *Tertullianus*, *Arnobius* et *Lactantius*. In sæculo sequenti floruit *S. Ambrosius*, cujus discipulus, *S. Augustinus*, splendidissimo nituit ingenio, ac philosophiæ magnum incrementum præbuit. S. Augustinum recentiori ontologismo patrocinari clamitant nonnulli auctores nostræ ætatis, qui aliqua verba, a vero sensu detorta et a contextu abrupta, afferunt in confirmationem hujus affirmationis. At mens S. Augustini circa hanc quæstionem neminem latet qui diligenter ac rectis interpretandi criteriis adhibitis ejus scripta perlegerit; porro diligentiam in libris S. Doctoris evolvendis esse adhibendam, satis suadebat historia, quæ tot et tantas refert absurditates, imo et pessimos errores ab hæreticis, Calvino, Luthero, Janseniano, etc., ipsi S. Augustino attributos, quem intelligere aut noluerunt aut non potuerunt. Hic afferre textus ad probandam sinceritatem interpretationis S. Thomæ et S. Bonaventuræ (II, 293 nota) circa naturam et originem cognitionis humanæ nimis longum foret, ac librum integrum postularet (1).

Hæc autem epocha est celeberrima in historia philosophiæ. Innumeri exorti sunt viri præstantissimi, qui doctrinam sacram mirifice evolverunt. Agmen vero istorum præclarissimorum ingeniorum a *Boetio*, *Cassiodoro* et *Vincentio Lirinensi* concluditur.

In sæculis sexto et septimo barbaries irruit in mundum, et fere ubique invaluit; exinde philosophia oblivioni aliquantulum tradita fuit.

II. In Oriente, primo et secundo sæculo Ecclesiæ emi-

(1) Vide Franzelin. *Tract. de Deo uno*, XI, pag. 134. seq. thes.

nent *S. Justinus*, *Tatianus*, ejus discipulus, et *S. Iræneus*. Ineunte autem sæculo secundo, philosophia summo splendore enituit. Etenim scholæ eclecticæ a Potamone, Plotino et Porphyrio Alexandriæ fundatæ, alia schola vere eclectica et longe perfectior suffecta est. *Panthænus* huic scholæ christianæ exordium dedit, quæ a *Clemente Alexandrino*, *Origene*, *Athenagora* illustrata fuit.

Ammonius Saccas epocham terminat Neoplatonismi Alexandrini christianismo infensi; unde aliquando gymnasium christianum ordiri dicitur ab ipso Ammonio, non autem a Panthæno. Ammonius, parentibus christianis natus, a vitæ genere, quod primitus sectatus fuerat, cognominatus Saccas, hoc est gerulus, Alexandriæ docuit sæculo secundo exeunte, atque inter suos discipulos Originem annumeravit.

Præter hanc scholam Alexandrinam, quæ maximam famam obtinuit in universo orbe, eluxerunt in Oriente quarto præsertim sæculo *S. Athanasius*; *S. Basilius*, *S. Gregorius Nyssenus*, *S. Gregorius Nazianzenus*, *S. Joannes Chrysostomus* et multi alii Patres. Hanc epocham clausit sæculo octavo *S. Joannes Damascenus*, qui communi consensu historicorum habetur ut parens philosophiæ scholasticæ. Ad formam enim dialecticam redegit theologiam supernaturalem.

§ II. — Ætas Scholasticorum.

Barbarorum incursu irrequieto et ingravescente, philosophiæ studium aliquandiu delituit; in cœnobiis tantum tunc temporis et quidem a paucis colebatur. Sed postea e tenebris emergens ad supremum fastigium evecta est; philosophia enim scholastica adeo claruit atque ad talem perfectionis apicem pervenit, ut a tali acumine postea minime excreverit.

Philosophia *scholastica* sic vocatur ex methodo quæ invaluit in scholis; hæc autem ratio philosophandi, omnino scientifica, magis accommodata est ad philosophiam docendam, quia strictior est ac dilucidior, stylo pressiori utitur, ordine strictissimo delectatur, et ad dialecticæ artis normam exigit suas expositiones.

Libri Aristotelis, a Mauris hispanis *Averroe* et *Avempatio* in lucem educti atque in scholis generatim recepti, quoad hanc saltem partem quæ respicit methodum et dialecticam, nonnihil contulerunt ad scientiam philosophicam. Methodo igitur accuratiore et perfectiore instructi totam vim ingenii, qua pollebant magno cum profectu ad vestigationem veritatis inpenderunt philosophi christiani.

Maxima proinde scholasticorum in historia philosophiæ fama est atque celebritas : totum enim illud spatium temporis occupaverunt quod a sæculo octavo usque ad renatas litteras, ut dici solet, defluxit, omnemque suo sub imperio scientifico tenuerunt orbem. Sed ante sæculum XI, pauci fuerunt philosophi et minoris famæ, inter quos recensere sufficiat *Alcuinum*, *Rabanum Maurum*, et *Scotum Erigenam* qui pantheismum exsuscitavit.

Sæculum XI a duobus præstantissimis viris potissimum illustratur, scilicet a *Lanfranco* et *S. Anselmo*. Italus Lanfrancus, qui archiepiscopus Cantuariensis fuit, contra hæresiarcum Berengarium, qui aliqua dogmata fidei christianæ inficiari ausus erat, strenue debellavit; et sic ex Berengarii aggressione philosophia christiana nova luce coruscavit.

S. Anselmus, docti Lanfranci discipulus, et in sede Cantuariensi successor, multa edidit opera theologica et philosophica : summus itaque philosophus æque ac theologus exstitit, qui errores hujus temporis profligavit, et fidem ad intellectum, seu ad scientiam, evehere adnisus est.

Eodem tempore, *Roscellinus*, canonicus Compendiensis, suum celeberrimum *nominalismum* evulgavit, adversus quem jam stetit S. Anselmus; huic errori *Guillelmus* Campellanus, Anselmi discipulus et celebris scholæ S. Victoris, prope Lutetiam, fundator, suum opposuit *realismum*. Denique, auctore *Abeilardo*, exsurrexit etiam *conceptualismus*. Circa hæc tria systemata facta est magna discessio scholarum, quæ mentes usque ad hodierna tempora in varias partes distraxit (II, 245-248). Tandem *Petrus Lombardus*, sæculo XII, summam theologicam seu Librum Sententiarum edidit, in qua dogmata christiana per-

fecundissimis subtilibusque speculationibus philosophicis illustravit.

Hugo a S. Victore, canonicus regularis in abbatia S. Victoris Lutetiæ, tempore Petri Lombardi floruit. Hi laudati theologi velut primam epocham constituunt philosophiæ scholasticæ. *Almaricus Carnutensis*, theologiæ magister in Universitate Parisiensi, suum pantheismum tunc etiam edidit.

Sub *secunda epocha*, in summum perducta est philosophia scholastica. Temporibus illis floruerunt principes scholæ, nempe :

Sæculo XIII, *Alexander Alensis*, franciscanus, qui summam universæ theologiæ dedit, *Albertus Magnus*, qui de omnibus scientiis naturalibus magno cum plausu auditorum disseruit. Inter præclara sui temporis ingenia, Albertus merito locum obtinuit, et inter commentatores Aristotelis, quod ad dialecticam et metaphysicam pertinet, suæ ætatis reliquis, excepto tamen D. Thoma, præstitit. Istis conjungere oportet *Vincentium Bellovacensem*, ex ordine Prædicatorum, qui in suo Speculo doctrinali, naturali et historiali, veram encyclopediam edidit.

At præ omnibus scholasticis excelluit Doctor Angelicus : hoc autem cognomen accepit S. Thomas Aquinas ob incredibile et quasi divinum ingenium quo præditus erat. Igitur jure meritoque fuit nuncupatus Doctor Angelicus, sive spectes miram ingenii facilitatem, sive scriptorum editorum copiam et perspicuitatem.

Præcipua ejus opera, præter Commentarium in Magistrum Sententiarum, et splendidas enodationes in Scripturam sacram, recensentur Summa contra Gentiles, seu *Summa philosophica*, opus certo mirum et eximium, et *Summa theologica*.

Mirus in hoc ultimo præsertim opere elucet ordo, quo omnia apprime connectuntur ac evolvuntur, adeo ut aptissime arbori comparata fuerit, quæ crescit in ingentem altitudinem, se dilatat in ramos, ac frondibus et foliis mire convestitur. Quantopere ejus scripta semper ab Ecclesia fuerunt commendata, facile cognosces ex eo quod in concilio Tridentino Patres D. Thomæ Summam collocare voluerunt prope

sacram Scripturam, quæ de more in publicis synodorum sessionibus affertur. Semper enim inimicis veræ fidei maximo terrori fuit, quod candide fassus est Lutherus dum questus solitos contra Christi sponsam effundens, exclamavit : Tolle Thomam et dissipabo Ecclesiam!

Eodem tempore floruit *S. Bonaventura*, Franciscanus, cognomine Doctor seraphicus, qui famæ celebritate, eruditionis et sanctitatis laude, nonnisi a S. Thoma, tunc temporis fuit superatus. Nonnulli auctores nostræ ætatis S. Bonaventuram habent, cum S. Augustino, ut faventem ontologismo, et vi illata quibusdam verbis a vera auctoris mente detortis et decerptis ab operibus mysticis, ostendere conantur. Sed loca in quibus directe et ex professo quæstionem de qua agitur, exponit, caute prætermittunt, ut ad opera mystica confugiant, et quibusdam figuris et metaphoris, multiplicis interpretationis capacibus, abutantur, quæ alias ad contemplationem supernaturalem, ope gratiæ peractam, spectant. Porro ut mens S. Bonaventuræ in perspicuum ponatur, sufficit monere : 1° Angelum, juxta doctorem seraphicum, *naturaliter* essentiam divinam non percipere sine *medio et creaturæ adminiculo*, et illud adminiculum, quo Deum cognoscit, esse *effectus visibiles* (In lib. II Sent. D. III, p. 2. art. II, q. 2. Cf. text. all. in Breviar. Phil. II, 293).

2° Docet Adamum, etiam in statu innocentiæ, Deum non cognovisse, « *eo genere cognitionis* quam exspectamus in gloria..., sed *mediante speculo.* » (In lib. II Sent. D. XXIII. art. 2, q. 3).

3° Loquens directe et ex proposito de modo quo homo viator cognoscit : « Deus, inquit, qui est artifex et causa creaturæ, *per ipsam* cognoscitur. Et ad hoc duplex est ratio :. una est *propter convenientiam*, alia est *propter indigentiam*,... quia cum Deus, lux summe spiritualis, non possit cognosci in sua spiritualitate ab intellectu; quasi *materiali luce* indiget anima ut cognoscat ipsum, scilicet *per creaturas*. (In lib. I Sent. D. III., p. 1, art. 1. q. 2.

Joannes Duns Scotus, Franciscanus, de cujus patria non concordant eruditi, ingenii acumine et subtilitate

maximam famam obtinuit, et scholam particularem genuit, quæque ex antea dictis sufficienter innotescit.

Non defuere huic ætati alii scriptores mentis acumine et eruditionis copia celebres, inter quos *Petrus Hispanus* (Joannes XXI), qui artis logicalis peritia inclaruit, *Henricus Gandavensis*, doctor solemnis, *Rogerus Baco*, qui in scientias naturales et mathematicas profundissime se penetravit. A tempore Scoti duæ scholæ celeberrimæ Thomistarum et Scotistarum nituerunt, inter quas non raro opinionum certamen erat. Sæculo XIV, *Ægidius Colonna*, eremita Augustinianus, cognomine doctor fundatissimus, Romæ genitus ex illustri Columnensium genere, ipsiusque S. Thomæ discipulus in schola Thomistica floruit, et *Franciscus de Mayronis*, Gallus ordinis Minorum, doctor illuminatus, in Scotistica: Is tanta distinctionum fœcunditate innotuit, ut etiam doctoris acuti et magistri abstractionum nomen consequeretur.

In sæculo XIV, disputationes inter nominalistas et realistas e cinere exsuscitatæ sunt, instigatore *Occam*. Hic gente Anglus, Scoti scholæ juvenis se tradidit; sed postea contra ipsos Scotistas nominalismum acerrime propugnavit. Denique, arreptis Ludovici Bavari partibus contra Papam Joannem XXII, auctoritatem S. Pontificis impugnavit, qui anathemate eum percutit. Post eum *Joannes Buridanus* et *Petrus de Alliaco*, Episcopus Cameracensis, ac cardinalis, partibus nominalium adhæserunt. Ex altera parte *Thomas de Bradwardine*, archiepiscopus Cantuariensis, et *Thomas de Argentina* realismum tuiti sunt.

§ III. — Ætas recentior.

Hæc ætas, uti diximus, a tempore hoc incipere debet, quo impugnata fuit, primum a protestantibus, deinde ab aliis, philosophia scholastica. Hæc autem impugnatio philosophiæ scholasticæ partim a vana perversaque innovandi cupidine atque a pravis propensionibus reformationis tunc Ecclesiæ bellum indicentis repetenda est, partim ex eo quod philosophia scholastica ex una parte experientiam et in altera artem dicendi profanorum scriptorum negligere visa fuerit, et facultates ordinis sensibilis, præsertim phantasiam

nimis sub vinculis habuisset. Speculationes enim mere rationales ac morales inferiorem hominis appetitum cum detrimento injuriaque partis superioris seu rationalis explere nequeunt; inde sicuti in homine facultates sensibiles contra rationem non raro pugnant, et caro concupiscit adversus spiritum : ita etiam in societatibus accidit, quæ aliquando nimia cupiditate bonum sensibile prosequuntur, bono intelligibili ac supernaturali penitus neglecto.

Huic insectationi causam occasionalem præbuerunt argutiæ et vanæ subtilitates quibus ipsa sæculo xv a nonnullis aspersa fuit. In has enim speculationes logicas et metaphysicas plus æquo impegerat quæ nonnisi contentionibus et velitationibus philosophicis constant; porro ejusmodi speculationes plus minusve mentes divertunt a fontibus cognitionum experimentalium, in quas tunc propendebant nonnulli auctores ingenio clarissimi.

1. *Schola Florentina.* Eo tempore (sæc. xv) in Italia philosophiam græcam in lucem produxerunt *Georgius Pletho*, patria Byzantinus, et nonnulli Græci, qui concilio Florentino (ann. 1438) interfuerant : philosophiæ Platonis præsertim totus ille se dedit. Platonica philosophia, Plethonis studio, Florentiæ introducta est, et a Medicea familia patrocinata : *Marcilius Ficinus* et *Picus Mirandolanus* hanc philosophiam exposuerunt. Cardinalis *Bessario* moderatius Platoni adhæsit et Aristotelem minime contempsit : cum enim Græci de Platonis et Aristotelis philosophia acerrime disputarent, auctoritate et eruditione sua usus est, ut hanc potissimum controversiam amice dirimere tentaret; tamen *Georgio Trapezuntio*, vehementer Aristoteli faventi, se opposuit.

Pro Aristotele etiam acriter decertavit *Georgius Scholarius*, patria Constantinopolitanus; et, eodem fere tempore, *Petrus Pomponatius* (ineunte sæc. xvi) peripateticæ philosophiæ operam contulit (II, 124).

Istæ disputationes hoc emolumenti habuerunt quod lingua græca fuit melius cognita, et litteris atque elegantiori scribendi rationi diem reddiderunt, non tamen sine ipsius philosophiæ detrimento: quia auctores tunc emendatiorem litteraturam fere unice quærebant

appetebantque, seu vestimentum colebant, neglecta re ipsa indumento ornanda : inde emersit quidam veluti paganismus in litteris et artibus. Schola Florentina non parvi contulit ad philosophiæ scholasticæ oblivionem.

II. At impugnatores scholasticæ in triplicem classem dividi possunt :

1° Alii contra scholasticam aliquid novitatis dumtaxat intulerunt; 2° alii eam aperto fronte adorti sunt; 3° alii tandem de possessione imperii eamdem dejecerunt et in oblivionem plus minusve adduxerunt.

A) Inter philosophos *primæ* classis enumerandi sunt 1° *Raymundus Lullius*, cognomine *doctor illuminatus*, cujus *logica mechanica* seu *ars magna*, omnes dialecticæ abusus practice ostendit, quia vanis subtilitatibus nimium usus est, et media empirica, plane inutilia, adhibet ad regulas omnium scientiarum memoria retinendas. Artis tamen hujus, cui plus ostentationis inest quam doctrinæ, eo tempore multos cepit admiratio; sed opus illud est merus imaginationis emotæ lusus.

2° *Laurentius Valla*, patricius romanus, non parcius et consideratius locutus est; stylo audax et acerbus omnia temere suggillabat, et exinde exilio mulctatus est. Iste præsertim eversionem scholasticæ præparavit; infensissimo enim animo in rationem dicendi scholasticorum, tanquam in eliminandam barbariem, insurrexit : contradicendi pruritu et verborum acerbitate, potius quam peritia in quavis disciplina inclaruit.

B) Ad *secundam* classem pertinent 1° *Jordanus Brunus*, Nolanus, qui prius dominicanus et deinde profugus, ad ignem demum damnatus fuit, ut hæreticus et apostata (ann. 1600). Erat enim fervidus fautor logicæ mechanicæ Raymundi, et pantheismum aperte docuit.

2° *Cardanus*, ex Papia, astrologiæ judicialis vehemens propagator, de rebus naturalibus, artificialibus et supernaturalibus multa volumina (10 v. in-f.) scripsit.

3° *Campanella*, Calaber, monachus dominicanus, nulli disciplinæ ac prælato parens, atque suis excogitationibus periculosis et lubricis unice indulgens, multa deliramenta philosophica et politica edidit. Obiit anno 1679.

Inter eos etiam qui servitium scholæ, ut dicunt

Rationalistæ, exuere conati sunt, commemorari etiam possunt *Bernardus Telesius*, neapolitanus, qui in novem suis libris *de natura rerum juxta propria principia* tria rerum principia, materiam, calidum seu æstum et frigus admittebat, *Ramus*, *Paracelsus* et multi alii.

Verumtatem contra illos omnes impugnatores philosophiam christianam firme servarunt ac tuiti sunt scriptores qui Theologiæ et philosophiæ scholasticæ operam contulerunt, inter quos referre sufficiat Greg. de *Valentia*, *Lessium*, *Card. d'Aguirre*, *Vasquesium*, *Suarez*, *de Lugo*, *Becanum*, *Hurtado*, *Ferrariensem*, *Gonetum*, *Salmanticenses*, *Frassen*, *Isambertum*, *de Rhodes*, *Goudinium*, *Pontium*, etc., ingenii acumine et eruditionis copia præclarissimos. Inde a sæculo XVII ineunte philosophi et theologi in tres scholas principales partiri solent, scilicet in Thomistas, Scotitas et Molinistas.

De istis scholis ac de clarissimis theologis atque philosophis scholasticis supra enumeratis fuse agendum foret, etiam relictis omnibus depravatoribus veræ philosophiæ hactenus recensitis et infra enumerandis. Re quidem vera nomine historiæ philosophiæ, inde a Bruckerio, Lutheri sectatore. religioni catholicæ ac proinde scholasticis infensissimo, non aliud plerumque venit quam narratus omnium errorum, imo veritatis suggillatio ac insanitatum laudatio.

Nos in hac ultima epocha potius *Exteros* enumeramus : namque sapientes laudibus christianorum digni aut satis innotescunt ex dictis in ipsa expositione doctrinarum, aut ad historiam theologiæ maxime spectant, et ideo lectorem quoad scholasticos qui post conc. Tridentinum floruerunt, ad eximium opus « *Nomenclator litterarius*, etc. » clarissimi Hurter remittimus.

C) *Tertiæ classis epocha*, quæ a Bacone incipit (sæc. XVII), vocari solet tempus liberationis scientiarum philosophicarum a servitute scholasticæ. *Baco a Verulamio* (1560-1626) philosophiam ipsam a peripateticis subtilitatibus ac sordibus, ut aiebat, quæ illam, sequiori præsertim scholasticæ ætate, infecerant, expurgare sibi proposuit ; ad hunc autem scopum attingendum non tantummodo

rejecit omnes speculationes scholasticas ac omnia systemata a scholasticis excogitata, sed ultra progrediens, ipsam methodum scholasticam adoriri cœpit, atque ei aliam, quam accuratiorem judicabat, sufficere voluit; rejecto ergo syllogismo eique suffecta inductione, totam philosophiam ad analysim et experientiam revocavit, ac proinde a rationali contemplatione universam philosophiam subducere conatus est, ut eam retro ad merum empirismum remitteret : scientiis physicis aliquid forsan contulit, sed philosophiam proprie dictam depravare molitus est.

Ex suis ergo excogitationibus quemdam librum conflavit, cujus titulus est *novum organum*, seu novum instrumentum ad veritatem indagandam et prosequendam.

Viam autem a Verulamio patefactam diverse ac plus minusve efficaciter prosecuti sunt *Cartesius* (1596 1650) in Gallia, *Lockius* (1632-1704) in Anglia, et *Leibnitius* (1646-1716) in Germania.

Cartesius celeberrimus est in historia philosophiæ, quia illi generatim tribuitur eversio scholasticæ, ac proinde habetur ut philosophiæ recentis, scilicet rationalismi, parens. Disceptatio quædam instituta fuit inter nonnullos auctores ad verum doctrinæ cartesianæ sensum determinandum; alii enim illam in se spectatam ab omni labe erroris eximere volunt; alii autem Cartesium habent uti patrem omnium errorum hodierni rationalismi. Quid de hac re sentiendum diximus. (I. 227). Cæteroquin suos fructus scilicet naturalismum et pantheismum produxit Cartesianismus, adnitente *Benedicto Spinoza*, Judæo Amstelodami nato, (1632-1677) (II, 7). *Malebranchius* (1638-1705) etiam et *Petrus Poiret* (1646-1719), ambo galli, sua placita, Cartesianismo plus minusve faventia, tunc temporis protulerunt.

III. At brevi in oblivionem tradita est philosophia Cartesiana, seu potius id quod in Cartesii placitis minus a veritate recedebat, Lockio philosophiæ campum mature occupante, ob facilitatem humilitatemque doctrinarum seu inanitatum stylo populari alias propositarum. Brevi ergo tempore invaluit materialismus et scepticismus Lockii, etiam contra profundiores *Leibnitii* et *Wolfii*, (1679-1754) qui omnes scientias philosophicas

complexi sunt, speculationes, quæ tunc temporis extra Germaniam vix migrare potuerunt. Eodem tempore in Germania scripsit *Christianus Thomasius*. Lipsiæ natus 1655-1728), qui *Hugonis Grotii*, Batavi (1583-1645, *Samuelis Puffendorfii*, Saxonis (1632-1694), et *Thomæ Hobbesii*, Angli (1588-1679), vestigiis insistens, philosophiæ practicæ præsertim, irrito labore, insudavit.

Sed Lockii doctrinæ, quæ ad scepticismum inclinabat, proximæ, etsi oppositæ, conclusiones cito eductæ fuerunt, et proinde emerserunt idealismus per *Berkeley* hibernum (1684-1753), vulgatus et propagatus, nec non scepticismus, ab *Humio* Edimburgæ nato (1711-1776), in lucem eductus. Prior ut Lockii empirismum everteret, mundo corporeo omnem realitatem objectivam negavit; alter ex placitis lockianis, ita eumdem empirismum amplificavit, ut cognitioni humanæ quamcumque objectivam certitudinem inficiatus sit. Paulo ante, *Samuel Clarkius* (1675-1720) et *Franciscus Hutcheson* (1694-1773), angli, etiam empirismum plus (minusve foverunt.

Præterea in Gallia, sæc. XVIII, opere et nisu *Condillac* (1715-1780), sensismus prodiit, scilicet doctrina quæ totam hominis cognitionem ad sensationem revocat, ita ut omnes ideæ nihil aliud sint quam sensationes transformatæ. Juxta Condillac, intellectio ipsa est quædam sensatio transformata, quapropter hic auctor in pessimum empirismum impegit. Mirum ergo non est, quod post illum *Helvetius*, *Cabanis* et plerique Encyclopedistæ, perfectum materialismum et atheismum professi sint; hanc gregalem turbam insanorum scriptorum hinc inde aberrantium oratione obire plus quam inutile est. Hæc autem doctrina ipsam Italiam sua pravitate plus minusve infecit.

Sed istæ ineptiæ, quæ diu in admiratione fuerunt, tandem in suspicionem adduci cœperunt, scholæ Scoticæ præsertim conatibus, auspice et duce *Thoma Reid*, Scotia oriundo (1710-1796), ejusque discipulo *Dugald-Steward* (1753-1828). Hæc autem secta suscepit patrocinium communis sensus naturæ, et propterea dimicavit contra scepticismum Humii. Tentavit etiam postea accuratiorem analysim omnium animæ facultatum; sed hæc analysis, nimis empirica, Sensistarum errorem redolet. Reid

igitur admisit, ut principium inconcussum et certum, infallibilitatem sensus communis, saltem quoad judicia primitiva, quorum numerum non determinat (I, 241). Hoc principio fretus migravit ad observationem omnium factorum et legum psychologicarum, quæ ex talibus factis innotescunt. Igitur schola scotica fere unice ad psychologiam incubuit; sed ad fidem cæcam reduxit certitudinem humanam (II, 220).

IV. Denique nostra ætate in Germania exorta est alia secta philosophica præcedenti longe perniciosior, duce *Kant* (1724-1804), qui operam impendit non tam objecto cognitionis quam instrumento quo utimur in cognoscendo. Kantius autem in primis determinare conatus est limites quibus circumscribi debet usus legitimus rationis : illud autem studium circa hunc usum vocat *criticam rationis puræ*. Cum totum systema versetur circa facta intellectualia et quasdam leges totum mundum sensibilem et aspectabilem transcendentia, qui, juxta Kantium, est tantum apparens, non autem realis (mundus enim realis nobis est incognitus), doctrina Kantii vocata fuit *idealismus transcendentalis*. Hæc vero doctrina in pantheismum, cujus germina continet, brevi delapsa est, et omnes fructus suos celeriter protulit; nam a Kantii tempestate insanire cœpit turba ejus discipulorum. Præcipua ejus opera sunt, 1° *Critices rationis puræ*, 2° *Critices rationis practicæ* et 3° *Critices judicii*.

Præcipui Kantii discipuli Germani, *Fichte*, *Schelling*, *Hegel* doctrinam magistri ad ultimas conclusiones deduxerunt, licet in diversas partes dilapsi : eorum distorta somnia superius satis retulimus. *Hermesius*, *Gunther* et alii hæc perversa ineptaque figmenta dogmatibus revelatis applicare conati sunt, dogmata ipsa somniis kantianis subjicientes, ac proinde plus minusve pervertentes ut philosophia et « scientia » germanica intemerate servetur ac in cœlum laudibus efferatur. Non expedit hic referre nomina eorum qui mentes in Gallia depravare nisi sunt invectione istarum absurditatum, quique alias non sunt nisi Germanorum plagiarii aut interpretes.

Hanc philosophiam impugnarunt multi scriptores catholici, quorum nonnulli, dum sanam doctrinam

propugnare visi sunt, a veritate ipsa plus minusve desciverunt : ita *Lammenais*, *Bautain*, etc.

Ontologismus, Kantismi surculus, et Traditionalismus olim a quibusdam auctoribus, *Giobertio*, *Rosminio*, *Ubaghs*, *de Bonald*, *Ventura*, etc., in lucem, ut *nova philosophia christiana*, educti, jam de medio removentur, etiam in Gallia.

Imo his ultimis diebus, facta est vera et proprie dicta philosophiæ *restauratio* per reversionem ad sapientiam scholasticam. Viri doctrina et scientia præclari ut *Liberatore*, *Sanseverinus*, *Kleutgen*, etc., quibus *Balmes* suo modo viam aperuit, in eo laborant ut totius traditionis ecclesiasticæ, et speciatim S. Thomæ, doctrinam in medium proferant, ac philosophiam omnibus Ecclesiæ decretis candide subjiciant, seu ancillam theologiæ reddant. Illi omnes S. Thomam tanquam magistrum et ducem habent; sed alii, inter quos Sanseverinus, scholæ Thomisticæ addicti sunt; alii vero, ut Liberatore, Kleutgen, non sunt Thomistæ in sensu hodierno nominis, licet veri discipuli Doctoris Angelici. Summus Pontifex, Leo XIII, adhuc gloriose regnans, nihil antiquius habuit quam redintegrationem illius philosophiæ S. Thomæ in scholis catholicis, ut constat præsertim ex celebri Encyclica *Æterni Patris*.

At, quod mirum sane videtur, scientiarum naturalium cultores, saltem acrioris judicii, reconditiore facta rerum indagatione, jam præsentiunt ac veluti olfaciunt philosophiæ scholasticæ veritatem; et inde dissidium inter scientias experimentales et disciplinas rationales, Baconis nisu ac molimine effectum, et ab ejus asseclis magno verborum strepitu celebratum, jam evanescere incipit, saltem apud illos qui doctrinæ catholicæ non sunt osores; ipsa methodus inductiva per naturæ sensibilis arcanorum indagationem detexit falsitatem systematum scholasticæ sapientiæ suffectorum quæ ad absurdum usque deduxit. Itaque dum philosophia ad veritatem revelatam redit ac sanam majorum traditionem sequitur, suum dominium in omnes scientias naturales recuperare incipit : imo et veram unitatem nancisci sumit.

Nunc ergo unice remanet illud spectaculum pugnæ acerrimæ inter veterem illam ac indeficientem sapien-

tiam christianam et speciatim philosophiam scholasticam ex una parte, et osores ipsius veritatis ex altera : contra pravas doctrinas, tam speculativas quam practicas quas summus Pontifex Pius IX in syllabo profligavit, speciatim contra rationalismum, materialismum et liberalismum, ut aiunt, longe plurimum belli hodie est. Verum contra voluntates pravas et malo errorique firmatas, potius quam contra mentis obscuritatem ac ignorantiam, pugnare nimium sæpe habent catholici.

V. De statu hodierno illius philosophiæ pravæ ac revelatarum veritatum inimicæ nonnulla etiam sunt dicenda.

1° Aliqui philosophi Kantii vestigiis insequentes innixi famoso ejus principio *autonomiæ rationis* systema Rationalismi invexerunt, quod fautores in præsenti sæculo permultos habuit Hi etiam in diversas partes abeunt. Attamen id commune habent quod rationem humanam stabilientes tanquam unicum instrumentum et supremam regulam veritatis assequendæ nihil admittunt quod hujus rationis ambitum prætergrediatur atque prorsus rejiciunt quodcumque supernaturale tum in doctrinis revelatis tum in factis.

Præcipuus rationalismi hujus fautor in Gallia, in prima parte hujus sæculi, fuit *Victor Cousin* Parisiensis (1792-1867), qui methodum *eclecticam* excogitavit. Juxta hunc auctorem universa philosophiæ systemata, quæ ab antiquissimo ævo usque ad hanc ætatem in lucem prodierunt ad quatuor principalia reduci debent, nempe sensualismum, idealismum, scepticismum et mysticismum. Hæc omnia vero et falso admiscentur et in eis philosophus, solius ope rationis, per diligentem exquisitionem atque electionem omnes veritates philosophicas deteget.

Philosophia quam hac methodo adstruit Cousin est *rationalismus spiritualista*, ut communiter aiunt. Equidem affirmando et defendendo Dei existentiam, animæ immortalitatem et alias hujusce ordinis veritates, laudabiliter insectatur turpes doctrinas a sensualismo evulgatas; sed præterquam quod medium ab eo invectum est prorsus impar, Cousin semper revelationi supernaturali christianæque religioni acriter adversatur atque ejus intendit plenam separationem a philosophia;

imo eam deprimit proclamando absolutam rationis suprematiam.

Rationalismus iste a tempore Cousinii multum obtinuit favorem præsertim apud gallicam universitatem, et usque nunc adhuc a multis docetur. Inter præcipuos ejus defensores eminuerunt *Jouffroy* (1796-1842), *Damiron* (1794-1862) et *Saisset* (1814-1863), nunc quoque *Janet* (natus 1823) et præsertim *Julius Simon* (natus 1814), celebrium quorumdam scriptorum auctor.

2° Sensualismus, qui toto XVIII sæculo fere præpotens fuerat, præsenti ætate diversimode renovatus est. Quidam pseudophilosophus, *Gall*, Germanus natione (1758-1828) ejusque discipulus *Spurzheim* (1776-1833) in Galliam vulgare tentaverunt insipiens materialisticum systema, *cranioscopiam* scilicet, seu *phrenologiam*, quod originem idearum passionesque omnes explicat per conformationem cerebri et capacitatem diversorum hujus organi loculorum.

Medicus gallus *Broussais* (1772-1838), item adoptans absolutum materialismum, autumat cogitationem esse mere organicam operationem, id est quamdam secretionem cerebri, quod per fibrarum et nervorum irritationem, diversimode ab externo effectam, ideam distillat, non secus ac stomachus cibos digerit et in succum transformat.

Idem sentiunt multi recentiores auctores qui universas materialismi theorias subtilioribus argutiis excoctas modo exquisitiori, atque, ut putant, magis scientifico proponunt, easque decorant novo nomine *positivismi*.

Positivismus multo magis per id quod negat, quam per id quod affirmat, definiretur. Etenim potest considerari ut methodus tantum vel ut doctrina. Ut methodus, in eo consisteret ut nihil admittat nisi quod *positive* seu evidenter probetur. Nihil ergo admittit tanquam verum ac certum, nisi illud quod patitur mathematicam demonstrationem vel cadit sub observatione sensibili. Qua de causa, juxta positivistas, omnes scientiæ exui debent universis speculativis abstractionibus quibus antea fere ex toto constabant, et adduci ad statum *positivum*, in quo nempe nulla lex seu nulla notio generalis admittitur, sed tantummodo

facta particularia et phænomena. Itaque positivismus, ut systema doctrinale, rejicit omnem revelationem, imo et omnem veritatem suprasensibilem.

Positivistæ hodierni scientiæ sociali, seu *sociologiæ*, ut aiunt, plurimum incumbunt. Principium fundamentale hujus perversæ doctrinæ est sequens :

Virtus et vitium non sunt nisi producta quædam chemica. Sola vero regula moralitatis reponitur in cujusque utilitate materiali quam tamen privati referre debent ad utilitatem generalem.

Primus molimen istud exstruxit positivismi *Augustus Comte*, Gallus (1798-1857), qui nomen illi imposuit. Deinde illud vulgaverunt in Gallia *Littré* (1801-1881) et *Taine* (natus 1828), hodie systematis hujus celeberrimus defensor. In Germania easdem fere theorias docuerunt *Vogt* (natus 1817), *Moles·hott* (natus 1822) et *Büchner* (natus 1824). Item in Anglia a multis receptus fuit positivismus cujus inter patronos eminent *Stuart-Mill* (1806-1873), *Darwin* (1809-1883), auctor famosus turpissimæ theoriæ *Transformismi* circa originem hominis, *Herbertus Spencer* (natus 1820), qui systema instauravit *Evolutionis* seseque præsertim *ethicæ positivæ* expositioni addixit.

Fœdissimum illud systema, quod prætextu scientiæ destruit omnem fidem et omnem veram scientiam, deturpat hominem, atque ejus dignitatem officiaque tollit, magis ac magis in societatem nostram corruptam serpit.

Cum *sociologia* positivistarum possent quodammodo comparari theoriæ politicæ quæ antea jam, prima scilicet parte hujus sæculi, prodierant, quæque referuntur ad reformationem totius societatis et ejus novam super chimerica quædam fundamenta constitutionem. Hæ propterea sub generali denominatione *socialismi* designari solent.

Inter somniatores qui socialismum istum invexerunt, alii præsertim insectantur *jus proprietatis* atque prædicant communitatem bonorum inter omnes socios stabiliendam : inde nomen *communistarum* quod eis datum est; inter hos indicare sufficiet *Cabet* (1788-1856) *Ludovicus Blanc* (1811-1882) et præsertim famosus *Proudhon* (1804-1865).

Alii vero familiam oppugnant et institutionem cujusdam liberæ communitatis extollunt quam vocant *Phalansterium*; ideo vocantur *Phalansteriani* vel etiam *Fourieristæ*, ex nomine systematis inventoris *Caroli Fourier* (1772-1837), quem secutus est *Considérant* (natus 1808). Alii tandem libertatem individualem confiscant ut illam alicui concedant associationi civili super nova fictitiaque fundamenta erectæ, sicque ultra modum potestatem societatis extollunt cum maximo jurium privatorum detrimento. Ita *Saint-Simon* (1760-1825), *Bazard* (1791-1831), *Enfantin* (1796-1864).

Aliqui tamen politici non pro ipsa societate hanc præpotentiam vindicant, sed pro ipso *Statu* seu potius gubernio, quod aliunde ad se ipsos totaliter arripere conantur. Ita erigitur quædam *statolatria*, quæ vires et vitam societatis enervans, graviterque lædens sociorum jura et libertatem, abit tantum in subtiliorem formam despotismi.

Hactenus dixisse abunde est de illis absurditatibus, quæ recensionem non aliter merentur, nisi quia pravorum aut stultorum mentes occupant.

EXPLICIT HISTORIA PHILOSOPHIÆ
ET BREVIARIUM PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

INDEX SYNOPTICUS
TERTII VOLUMINIS.

PROŒMIUM.

PRIMA PARS
ETHICA GENERALIS.

CAPUT I.

DE PRINCIPIIS ELICIENTIBUS.

ARTICULUS.

De voluntate.

§ I. De voluntario.

I. Voluntarii et involuntarii notio et divisio.

Voluntarium est id quod procedit a voluntate, quatenus voluntas est, atque dividi solet 1° in directum et indirectum, 2° in perfectum et imperfectum, 3° in positivum et negativum, 4° in expressum et tacitum. 7

Voluntario opponitur *involuntarium*, quod ex *violentia* vel *ignorantia* provenit. 8

THESIS I. *Voluntas varie allici et retrahi potest in suis actibus eliciendis* — Objectum enim ostendi potest voluntati ut plus minusve odibile vel delectabile. 9

THESIS II. *Voluntas facilitatem et difficultatem pati potest in suis actibus.* — Cum voluntate coagere possunt causæ adjuvantes et causæ remorantes. 10

II. De causis involuntarii.

I. *De violentia.* THESIS I. *Voluntas cogi potest quoad actus imperatos, minime vero quoad actus elicitos.* — *Prima pars* experientia constat, et *altera* hoc principio : aliquis non potest simul idem velle et nolle. 10

THESIS II. *Coactio absoluta voluntarium tollit*, nam actio coacta procedit, non a voluntate patientis, sed ab ipso cogente. 11

II. *De metu.* — Est gravis vel levis, absolute vel relative — antecedens vel concomitans — ab intrinseco vel ab extrinseco. 11

THESIS I. *Quæ fiunt ex metu, etiam gravi, sunt simpliciter voluntaria, et involuntaria secundum quid tantum.* — Nam actio facta ex metu importat aliquam electionem, etsi in ipsa reperiatur quædam voluntatis repugnantia. 12

Scholium. Metus quæ exstingueret cognitionem, tolleret etiam electionem, ac proinde voluntarium. 12

III. *De ignorantia.* Ratione *subjecti* est negativa vel positiva, vincibilis vel invincibilis; ratione *objecti*, est juris vel facti ; ratione *actus*, antecedens, concomitans vel consequens. 12

THESIS I. *Ignorantia antecedens et invincibilis voluntarium tollit.* — Nulla enim remanet cognitio. 14

THESIS II. — *Quæ fiunt cum ignorantia concomitante, non sunt positive voluntaria nec involuntaria, sed sunt non voluntaria.* — 1° Non sunt voluntaria, ex defectu cognitionis; 2° non positive involuntaria, quia

tes temperantiæ sunt : Verecundia et Honestas. Partes *subjectivæ*, Abstinentia, Sobrietas, Castitas et Pudicitia. Partes *potentiales* sunt : Humilitas, Modestia, etc. 36

IV. *Fortitudo* est habitus electivus præbens animi firmitatem et robur in perferendis laboribus, et justis periculis aggrediendis propter honestatem. — Partes *integrantes* fortitudinis sunt : Magnanimitas et Magnificentia, Patientia et Perseverantia. 37

§ III. De habitibus pravis seu de vitiis.

Vitium est mala qualitas mentis, qua male vivitur et nemo bene utitur. Causæ vitiorum sunt vel intrinsecæ, ut ignorantia, malitia, appetitus sensitivus, vel extrinsecæ, ut diabolus et mundus. 39

Vitium ratione tum subjecti tum objecti spectatum eodem modo dividitur ac virtus : 39

I. *Imprudentia* qua per defectum, v. g. : præcipitatione, inconstantia, etc. ; vel per excessum, v. g. : prudentia carnis, astutia, dolo, etc. ; quis peccat contra prudentiam. 39

II. *Injustitia*, quæ diversa accipit nomina juxta diversitatem bonorum in quibus homo injustus lædit proximum. 40

III. *Intemperantiæ* species sunt : gula, ebrietas et luxuria. 40

IV. *Fortitudini* opponuntur vana gloria, hypocrisis, pertinacia, etc... 40

CAPUT II.

DE PRINCIPIIS DIRECTIVIS.

Principia directiva spectant ad objectum formale Ethicæ determinandum. 41

ARTICULUS I.

De principiis directivis in genere.

§ I. De moralitate.

Moralitas est objectum formale Ethicæ. Hobbesius, Puffendorfius et Rationalistæ varie errarunt circa fontem moralitatis ; contra quos nonnullas theses stabiliemus. 42

THESIS I. *Actionum humanarum moralitas non pendet a legibus humanis neque ab opinione populorum.* — 1ª *pars* constat ex eo quod leges ipsæ dici

§ II. De principiis internis, seu de conscientia.

SECUNDA PARS

ETHICA SPECIALIS.

SECTIO I.

JUS PRIVATUM.

CAPUT I.

DE HOMINUM OFFICIIS ERGA DEUM.

ARTICULUS I.

De religione generatim inspecta.

ARTICULUS II.

De religione supernaturali.

THESIS III. *Revelatio veritatum ordinis naturalis fuisset moraliter necessaria homini, etiam ad statum supernaturalem non evecto.* — Etenim 1° veritates quæ Deum et mores respiciunt, sunt altissimæ, quæ proinde, semota revelatione, diuturnam inquisitionem exquirerent ; 2° status generis humani ante revelationem Christianam satis probat hanc veritatem. 84

THESIS IV. *Homo officio adstringitur amplectendæ revelationis quæ facta sit, et eam inquirendi, si nondum agnoverit.* Iª *pars :* Deus per revelationem vult ligare homines; IIª *pars :* homo nequit vocationem Dei negligere. 86

THESIS V. *Tamen ut homo officio amplectendi revelationem adstringatur, necesse est ut certo sciat illam esse divinam.* Judicium enim incertum de credibilitate objecti non est sufficiens ad rationabiliter credendum fide certa. 87

Scholium. Agitur de certitudine acquisita per evidentiam credibilitatis. 88

THESIS VI. *Inter alia motiva credibilitatis miracula et prophetiæ pariunt omnimodam evidentiam credibilitatis de divina revelatione, quam confirmant.* — Constituunt confirmationem divinam minime ambiguam. 88

Scholium. Præter hæc motiva extrinseca, dantur etiam motiva intrinseca, quæ seorsim probabilitatem gignere possunt. 89

CAPUT II.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEMETIPSUM.

ARTICULUS I.

De officiis quoad animam

I. De officiis ad intellectum spectantibus.

Officia quæ ad intellectum spectant, obligatione acquirendi debitam scientiam continentur. 90

II. De officiis ad voluntatem pertinentibus.

Officia ad voluntatem spectantia in prosecutione summi boni ad quod omnia alia bona debent referri continentur. 91

Intuitus observantiæ legum non est unicum motivum honeste agendi, ut autumat Kantius : gloria Dei procuranda est motivum longe nobilius. 91

ARTICULUS II.

De officiis quoad corpus.

CAPUT III.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS HOMINES.

ARTICULUS I

Officia essentialia hominis erga cæteros homines.

CAPUT I.

De societate domestica.

III. De conditionibus matrimonii.

Ad matrimonium rite ineundum requiritur, 1° ætas et corporis perfectio quæ sint idoneæ ad finem matrimonii, 2° unitas cultus, 3° nulla sanguinis propinquitas, denique 4° mutuus consensus libere datus. 117

Matrimonium jam initum exquirit 1° mutuam conjugum fidem, 2° ut potestas suprema penes virum resideat. 119

§ II. De societate paterna.

Hæc societas est conjunctio plurium personarum quæ, per ipsam naturam, educationis gratia initur. 119

I. De potestate paterna et officiis parentum.

Debent parentes 1° curam temporalem filiis exhibere, 2° eosdem docere præcipua officia naturæ rationalis. 120

THESIS. *Societas curare debet ut publica media non desint educandi pueros; sed educationem voluntati parentum contrariam pro liberis imponere nequit.* — *Primam partem* postea probabimus. IIª *pars* colligitur ex eo quod jus paternum est præexistens et prævalens. 120

Potestatis paternæ amplitudo. Dici potest hæc potestas rectoria, inspectoria et executoria. 121

II. De officiis liberorum.

Filii parentibus debent 1° amorem, 2° reverentiam, 3° obedientiam, nisi saltem agatur de electione status vitæ. 122

§ III. De societate herili.

Est societas pactitia quæ communis utilitatis gratia initur inter dominum et famulum. Dominus debet famulos amare, instruere, corripere, eorumque operam justo stipendio remetiri. Famuli debent domino obedientiam, reverentiam, fidelitatem et opera de quibus pacti sunt. 123

De servitute. — THESIS I. *Servitus in qua quis se perpetuo totamque suam familiam, pro tempore quo ista est sub potestate paterna, alicui ultronee manciparet, juri naturæ absolute adversari non videtur.* — Nam opera sua quorum dispositionem habet, unice mancipat. 124

THESIS II. *Servitus in qua quis omnia sua jura ipsamque existentiam in bonum alterius permitteret,*

CAPUT II.

DE SOCIETATE CIVILI.

ARTICULUS I.

De societate civili generatim inspecta.

§ I. De origine societatis civilis.

§ II. De fine societatis civilis.

FINIS INDICIS.

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ SYLLABUS.

SECTIO PRIMA.

SECTIO II.

ERRATA præcipua voluminis tertii :

Pag. 8 lin. 23 dele : et imperfectum quando fit quidem.

Pag. 14 lin. 19 quæ actionem... lege : quæ ad actionem

Pag. 17 lin. 22 voluntati hæc intellectum, lege : quoad intellectum.

Pag. 20 lin. 23, 24, lege : immediate tamen anima est

Pag. 74 lin. 16 hominis ordinem... lege : hominis ad ordinem.

Pag. 78 lin. 24 loco : Deus ad beneficentioris... lege : Dei beneficentioris

Pag. 79 lin. 21 sensibilia, lege : sensibilium

Pag. 79 lin. 22 sensibilium, lege : sensibilia.

Pag. 134 lin. 22 quod bonum, lege : bonum quod

Pag. 152 lin. 37 est quod, lege : est, seu potius,

Cætera sensum non mutant.

